HERCVLANENSIVM

VOLVMINVM

QVAE SVPERSVNT

TOMVS VI.



NEAPOLI MDCCCXXXIX.

EX REGIA TYPOGRAPHIA.

FERDINANDO II. BORBONIO

UTRIUSQUE SICILIAE REGI MUNIFICENTISSIMO

PIO FELICI SEMPER AUGUSTO.

Clementissime Rex

Quum Herculanensium papyrorum explicationem tanta munificentia absolvendam cures, atque eas inter praecipuos antiquitatis thesauros, quibus iure meritoque superbis, incolarum, advenarumque admirationi exponendas praecipias; Tibi omnino inscribendi sunt duo earum libri, quorum alter Philodemi nomen praefert, alterum Metrodoro tribuendum probabili freti coniectura censemus. In utroque

autem Epicureorum partim iam notae, partim hactenus incompertae de Deorum Vita, et Forma sententiae enucleantur; in quibus modo a caeteris Philosophis, modo a Poëtarum fabulis, modo a vulgi religione discesserunt. Haec autem si inter gravissima Regni negotia, ubi hora aliqua interciderit subcisiva, argumenti novitate adlectus oculis percurras; profecto ea, qua maxime polles, ingenii alacritate perspicies amplam eruditionis segetem viris Historiae Philosophicae studiosis fuisse comparatam; ut penitiores eius aditus perscrutantes, maiore testimoniorum copia, rectiore iudicio, ac validioribus argumentis de Veterum placitis disputare videantur. Adcedit quod ex huiusmodi lectione in Tua erga Deum incomparabili pietate magis magisque confirmaberis; siquidem animadvertes in tot ambages, ac tam ridicula deliramenta humanam mentem uno suo lumine ductam proruisse, ut nisi veram Religionem Deus ipse homines docuisset, de re tanti momenti admodum paucae veritates, eaeque post diuturnos labores, ac non sine plurium errorum admistione ab ipsis noscerentur. Opus igitur, praesentissime bonarum artium Patrone, Socii nostri Angeli Antonii Scotti, quem non uno nomine Tibi devinctum benigne foves, labore lucubratum consueta Augusti oris serenitate excipias; atque antiquitatis studia, quibus Te auspice incumbimus, ad Borbonicae Domus splendorem, et publicam utilitatem, etiam atque etiam promovere pergas.

Ex R. Museo Borbonico xii. Kal. Maii
A. R. S. cIↃIↃcccxxxix.

Devoti Numini Maiestatique Tuae
Academici Herculanenses.

ERUDITO LECTORI.

I. Philodemi Volumen, cuius explicationi incubuimus, fere desperatae lectionis erat; in plurimas enim lacinias discerptum, rugis ubique deturpatum, immanibus hians lacunis, pulvere ac situ squalens, litterularum abrasione foedum, singulari characteris varietate incommodum, et inusitata nexuum multitudine implicatum innumerabiles salebras, atque ambages illud percurrentibus obiecerat. Quare iam usque a titulo nos, quibus duram hanc provinciam Carolus Maria Rosinius, ὁ μακαρίτης, argumenti gravitate permotus imperaverat, diu multumque torsit. In quibusdam enim Herculanensium Voluminum catalogis, quos tum nostrates, tum exterae Ephemerides publicae usura lucis donaverant, inscribebatur: *Philodemi Liber de Animalibus.* Cuius erroris duas praecipue causas fuisse censemus; alteram scilicet, quod ad Operis finem, ubi pleniores pagellae uberiorem legentibus materiam praebent, et libri ἀνακεφαλαίωσις, uti par est, inveniri solet, pluries, *Ζῶα*, *Animalia*, memorantur; atque nescimus, quis interpres satis validam inde sibi comparasse rationem visus est, qua totius Tractatus argumentum definiret: alteram, quod littera Z aliis in titulo superstitibus subiecta, ut pote *Ζώων* initialis, coniecturae pondus addidisse videbatur. Deinde vero ad nostras pervenerunt manus *Herculanensia Volumina* edita *Oxonii 1824.* ibique praefixum legentes *Catalogum* in pag. III. vidimus eamdem numero 152 Papyrum titulo plane diverso indicari, videlicet: ΦΙΛΟΔΗΜΟΥ.ΕΡΙ....ΤΗ.ΙΣΕ..... ΔΩΝ ΑΓΩ..Ei porro *ibid.* paginae 24. adsignantur, quia totidem lectae tum fuerant: plures autem, quae nobis diuturniorem impendentibus curam occurrerunt, aut omnino latebant, aut nullam, pro suo brevissimo versiculorum ambitu, mentionem meriturae putabantur.

II. Quum res ita se haberent, ex adcurata totius Operis lectione, atque interpretatione id tandem adsequuturos nos esse speravimus, ut eiusdem Titulum pristinae integritati restitueremus; ac propterea ad extremam usque lineam oculos mentemque advertentes disputationis materiam intelligere sategimus; ut residuis in eodem titulo, quem etiam diligentissime rimati sumus, elementis caetera adiicere probabili coniectura liceret. Nostra itaque sententia, tum in fronte, tum in calce Voluminis (nam utrobique erat de more Operis inscriptio) ita omnino legebatur:

ΦΙΛΟΔΗΜΟΥ
ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΤΩΝ ΘΕΩΝ ΕΥΣΤΟ-
ΧΟΥΜΕΝΗΣ ΔΙΑΓΩΓΗΣ ΚΑ-
ΤΑ ΖΗΝΩΝΑ.

Philodemi, De Deorum vivendi ratione per coniecturas investigata, secundum Zenonis placita. Heic τὸ εὐστοχουμένης disputationi, quam coniecturis ubique innixam agnovimus, adposite respondet: sed quoniam superstites huius vocis litterae aliam quoque eodem recidentem admittunt, si quis aliam excogitabit, minime contendemus.

III. Porro num ΚΑΤΑ ΖΗΝΩΝΟΣ, an ΚΑΤΑ ΖΗΝΩΝΑ legendum foret, quum nullo prorsus indicio alterutrum inspectio pagellae nobis suaderet, plurimum deliberavimus; ac tandem ab ipsa argumenti tractatione arguimus alteram lectionem priori esse praeferendam. Nimirum in id Philodemus perpetuo incumbit, ut Stoicorum de Diis sententiam evertat: et quidquid Stoici de Deorum natura, vivendi ratione, occupationibus, curis, et ingenio docuerunt, absurdum, ridiculum, sibique repugnans ostendere conatur. Quapropter Zenonem illum Stoicorum antesignanum, a quo in Stoa discipulos edocente haec Secta ortum habuit, perstringere nobis primo videbatur; is enim illam de Diis doctrinam in medium protulerat, ac pro aris et focis in plurimis, quos conscripsit, libris tutari nunquam destiterat. Ipse nimirum Zeno est, quem Philodemus memorat in Fragm. Tab. I. n. 1. et cuius fortasse opinionem in Fragm. Tab. III. n. 5. citat, respuitque; ne alios tantummodo Stoicos, praetermisso ipsorum Auctore, refutasse videretur. Quare ΚΑΤΑ ΖΗΝΩΝΟΣ, CONTRA ZENONEM, liber recte inscribi poterat. Quo fit, ut lectori, qui huic opinioni favere maluerit, utique nullam inuramus notam: praesertim quia Volumen *de Musica* etiam adversus Stoicum Philosophum, videlicet adversus Diogenem Babylonium Philodemus lucubraverat, uti animadvertit nuper laudatus Rosinius in Praefatione §. XIV. At quoniam in praesenti Opere N. A. modo adversus Chrysippum, modo adversus Nicostratum, modo adversus Syllum, aliosque Stoicos sermonem instituit; nulla videtur fuisse ratio, cur Zenonem, caeteris praetermissis, in titulo memoraret. Propterea alium Zenonem omnino quaerendum putavimus; ut non *adversus*, sed *secundum* eius doctrinam tractationem adgrederetur.

IV. Nimirum quatuordecim alios eiusdem nominis celebres viros Ionsius recenset, *Hist. Philos.* Lib. II. cap. I. et Fabricius *Bibl. Graec.* §. 3. pag. 138. et seqq. et II. 14. 8. pag. 218, et 15. 4. pag. 233. supra in vol. II. pag. 672. et seq. *De pluribus Zenonibus.* Quos inter duo ad Epicuri Sectam pertinent, alter scilicet Sidonius, Apollodori auditor, qui teste Diogene fuit *και νοησαι, και ἑρμηνευσαι σαφης*, *tum in cogitando, tum in exponendo perspicuus.* L. VII. segm. 35, et *πολυγραφος ανηρ*, *multorum Operum Auctor*, L. X. segm. 25: alter vero a Cicerone, et Attico auditus, de quo haec Cicero: *Zenonem, quem Philo noster Coryphaeum adpellare Epicureorum solebat, quum Athenis essem, audiebam frequenter, et quidem ipso auctore Philone. De Nat. Deor.* Lib. I. cap. 21. Eum ipse Tullius modo *Principem Epicureorum, ibid.* cap. 33, modo *Senem acutissimum* nuncupat, *Quaest. Tusc.* Lib. III. cap. 17. atque alibi plura de eo refert, *De Nat. Deor.* Lib. I. cap. 34. *De Fin.* L. I. cap. 5. *Epist. ad Attic.* Lib. V. ep. 11.

V. Nos itaque argumentis fortasse non levibus freti hunc prae caeteris Philosophum in Titulo deprehendisse videmur. Primo quidem tanta erat inter Epicureos opinionum concordia, ut alter alterum libentissime defenderet: cuius rei vadem damus ipsum Philodemum, qui Epicureos Epicureis contradicentes abominatur, uti *parricidas: ου πανυ τι μακραν της των πατραλοιων καταδικης αφεστηκασιν*, *parum admodum parricidii crimine abfuerunt.* Qua quidem sententia volumen ΤΩΝ ΥΠΟΜΝΗΜΑΤΩΝ, quod postmodum *συν Θεῳ* prodibit, clauditur. Eam porro totidem fere verbis explicat, confirmatque Numenius, ubi de mira Epicureorum consensione agit, apud Euseb. *Praepar. Evangel.* L. XIV. cap. 5. Vide etiam Laërtium L. X. segm. 9. Senecam Epist. XXXIII. ac Themistium Orat. IV.

VI. Quare non temere duximus Philodemum *Epicureum nobilissimum*, ut ait Asconius Pedianus in *Cic. Orat. in L. Pison.* cap. XXVIII., Zenonis *Epicureorum Principis* patrocinium suscepisse, eiusque placita ab Stoicorum

calumniis vindicasse. Praeterea Zenonis huius perpetuo laudatam in tota hac lucubratione doctrinam, et praecipue in Col. X. defensam animadvertimus. Accedit quod Philodemus, ut Spartam hanc melius adornet, Stoicorum sententias refutat, ac plurium Epicureorum auctoritati passim innititur. Denique librum ΠΕΡΙ ΗΘΩΝ ΚΑΙ ΒΙΩΝ, quem Tomo V. Herc. Vol. habemus, ab eodem Zenone etiam se hausisse in ipso titulo fatetur; sic enim se habet: Φιλοδημου των κατ' επιτομην εξειργασμενων περι Ηθων, και Βιων εκ των Ζηνωνος βιβλων. Ο' εστι περι Παρρησιας. *Philodemi, Sermonum de Moribus et Vita compendiaria ratione excerptorum e Zenonis libris. Qui est de dicendi Libertate.* Pariter inter ineditos eiusdem Philosophi Tractatus illum habemus, qui εκ των Ζηνωνος Σχολων, *e Zenonis lucubrationibus* excerptus inscribitur (1). Unde primum eruimus, aut Zenonem Epicureum opus edidisse, cui Σχολαι titulus praefigebatur, aut multa eiusdem volumina hoc nomine γενικως fuisse nuncupata: discimus deinde, Philodemum in Zenonis lectione diligentissime fuisse versatum, eiusque scita exponenda, ac propugnanda non semel suscepisse. Si igitur in uno et altero Opere Noster Auctor Zenonem presso pede sequutus est; quid prohibet autumare, ipsum eamdem scribendi rationem in praesenti etiam Volumine sibi retinendam proposuisse, ut suam theologiam ΚΑΤΑ ΖΗΝΩΝΑ evulgaret?

VII. At quaeret quispiam, quaenam fuerit ista Philodemi de Diis doctrina? Eam scilicet heic invenire fas est, quae ab Epicuro fluxerat, quamque eruditis viris parum notam haetenus fuisse, ipsa Papyri lectio satis superque testatur. Quumque hac de re Stoici ab Epicureis toto distarent Coelo, modo in illis refutandis, modo in istis defendendis totus est Philodemus. Et quoniam maior huius Voluminis pars legi non potuit, ex his saltem, quae supersunt, evidenter colligimus, nihil in eo, quod ad hunc scopum non collimet, reperiri.

VIII. In hac autem Papyro evolvenda, fuerit licet summa diligentia, uti par erat, adhibita, effici tamen non potuit, quin priores pagellae deperirent; atque e reliquis fragmenta quaedam inter se dissita vix servari, legi, atque exscribi liceret. Haec nimirum ad LXXI. recensentur; e quibus si ea demas, quae litteris paucis obscurisque constant, tantummodo XVI. superfuerunt, unde sensum aliquem eruere non sine improbo labore daretur. Eadem utique in Tabulis ita disposuimus, ut quae videbantur inter se connecti, nos potius coniecturis indulgentes, quam aliqua evidentia permoti, alterum alteri subiungeremus; ideoque ex ipsa Tabulae inspectione recte procedentem sermonis contextum lector inspiceret. Quod quidem in XII. fragmentis contigit: sed IV. sequentia, uti inter se minime connectuntur, ita per interposita puncta id religiose indicavimus; studioque diuturno illud adsequuti videmur, ut tractationem quasi prono alveo fluentem, ea saltem ex parte, quae editur, legendam praeberemus.

IX. In istis itaque laciniis, quas publicae lucis usura dignas censuimus, disputationem suam quomodo Philodemus digesserit, paucis exponendum suscipiemus. Nimirum ipse Zenonis, et Nicostrati de diuturna Deorum vita sententias in medium proferens, illum testatur modo infinitas annorum periodos, modo quamdam saeculorum seriem Diis tribuisse: istum vero aeternitatem iis non negasse, sed ipsorum opera post certas periodos sic immutanda censuisse, ut dum mutabuntur, ex Fato ipsa mutatio obventura sit, adeoque Dei aeternitati Fragm 1. et 2.

(1) In *Herculanensium Voluminum Catalogo* nuper memorato p. V. legitur: ΦΙΛΟΔΗΜΟΥ ΚΑ.... Μ...Η. ΕΩΣ ΕΙΚ (corrige ΕΚ)... ΖΗΝΩΝΟΣ ΣΧΟΛΩΝ. Quod quidem Commentarium, quando Deo iuvante et vita comite edemus, genuino titulo non carebit.

nullum adlatura sit damnum. Porro Zenonis opinio, utpote ipsa sibi repugnans, refutatur; Nicostrati quoque Fatum in lacuna fortasse explodebatur.

Fragm. 3. et 4. X. De mundi duratione quam varia fuerint Stoicorum commenta, iudicat Philodemus, eaque reiiciens, Epicureorum placitum his verbis proponit: » quum aliter nunc definiamus Bonum, id scilicet quod singulis rebus con» gruum sit, mortalibus quidem non diu durabile se ipsum servaturum; quia » his quidem possibile non est infinita huiusmodi annorum millia perdurare, » aut esse sine corpore; Deorum vero beatorum infinitae durationi se ipsum » adcommodans, quum hi sint incorruptibiles, et corpore mortali careant ». Mox ad investigandas Deorum sedes gradum faciens, Epicurum Magistrum invocat, ut eos in suis conlucet Intermundiis, atque corruptione immunes esse doceat. Subiicit deinde: » haec autem ad consentiendum Stoicos non

Fragm. 5. et 6. » revocant, quorum illud dogma evidentiae contrarium, statuendi scilicet » magis aliquod temerarium, quam opinionem naviter probatam, vanis argumentationibus, nequaquam est bonum ».

XI. Stoicos deinde, Zenonem praecipue, refutat, qui Deo tribuit » ne-

Fragm. 7. et 8. » cessitates animalium naturae consentaneas, uti sensionem ». Id nimirum absurdum esse adfirmat; quia dolores, et caetera, quae auferunt felicitatem, ipsamque mortem illi inferret. Absurdum pariter esse subiicit fabulis insistere, quae Deorum rixas enarrant; perinde ac si hi amicitiae vinculo minime secientur, nec mutua amicitiae auxilia experiantur. Argumentum porro sumit tum ab ipsius amicitiae ad perfectam beatitatem comparandam utilitate, tum ab illa Stoicorum opinione, qua saecula quaedam Diis adsignabant; siquidem saecula neque perpetuae vigorem inventutis, neque felicitatem ita praestare possent, ut illi amicitiae subsidiis minime indigerent, aut ad ipsam ineundam impedirentur.

XII. Prosequitur noster Auctor suam de Deorum amicitia disputatio-

Fragm. 9. et 10. nem, eosque adserit ob cognationem ad quotidianam consuetudinem, atque ad mutuum amorem inclinare. Inde etiam deducit eos omnigena bonorum communione perfrui; quia si homines, sint licet inexplebili possidendi anxietate, atque indigentia affecti, amicis tamen aliquid impartiuntur, eorumque gratiam largitionibus promerentur; quomodo Dii, qui vitiis nostris carent, cum cognatis suis propria bona non communicabunt? Id autem faciunt, ut putat, non quia inopia laborant « omnes enim sibi sufficiunt, ut absolutis» simam voluptatem nanciscantur omnino » sed quia « per communem, » mutuamque bonorum suorum largitionem, pulchra prorsus amicitia de» vinciri gaudent ».

XIII. Deinde cupiditates, quibus homines torquentur, Deo abjudicat;

Fragm. 11. et 12. » quoniam si is erga res a negotiis obvenientes habet cupiditates, non ab» solute per omnia fruitur otio, et copia, et optabili qualitate bonorum ». Cupiditates porro illas praecipue taxat, quae ex inani quadam opinione excitantur, veluti ad coronas et statuarum erectiones obtinendas; quandoquidem Dii secretis malis omnibus cumulata bonorum possessione fruuntur.

XIV. Sequuntur breviora Fragmenta, quorum primum quavis ira Deum

Fragm. 13. liberum, et ab ulciscendo, atque a minitando alienum facit. Ex Magistri sui doctrina Philodemus contendit, eos qui Deo iram, ultionem, minas tribuenda censent, a recta ratione discedere.

XV. Alterum deinde referri videtur ad 9. et 10. Fragmenta; agit enim

Fragm. 14. de bonorum communione. Adfirmat nimirum Deos » utilitates ab aliis invi» cem accipere, etsi possint per se ipsi sibi eas comparare; quemadmodum » nos interdum ab hominibus eadem habentibus accipimus. Etenim tactus, » et rerum ad tactum, contactumque pertinentium etiam ab universis, quae

» ad nostram naturam extrinsecus obveniunt, plurima adcipimus, sine quibus » etiam felices esse possumus ».

XVI. In Tertio satis indicat Philodemus se fabulas nonnullas, quibus explicandis Stoici insudabant, exsibilare, illam praecipue, quae Iovis cum lapide concubitum narrabat. Animadvertit enim Deo indignum esse, tam depravata mente agere, ut Deas sibi similes, et speciosas respuens rem ad concubitum minime idoneam, et quidem a Divina natura distantem eligeret, ab eaque filios susciperet. Fragm. 15.

XVII. Postremum denique quasdam Stoicorum sententias, eam praecipue, quae de dolore erat, suscipit confutandas. Aiebant enim Stoici doloris causam, et naturam ab Epicureis propositam omnino sa aut ignorare, aut reiicere. Huic sententiae opponit Noster Sectae suae de dolore placita; probatque temere dictum esse, ex Epicuri doctrina nullam doloris rectam erui notionem. Haec deinde ad Deos ab omni aegritudine liberandos, quomodo adhibita sint, divinare quidem possumus, at legere lacuna non sinit. Fragm. 16.

XVIII. Columnae, quas continenter exhibemus, et ipsae lacunis redundant. Earum prima Stoicos mordet, quod vanis opinionibus mentes adolescentium imbuant; ea praesertim, quae apud ipsos invaluerat, esse » Deos Sa- » pientium omnium amicos » utpote quia illi ex Sylli effato sunt Effectores, et hi quoque utilibus incumbant operibus. Quare in Zenonis vanitatem invehitur, qui se ad Deos adcedere, eosque adtingere iactabat » vocabat- » que tum Sapientes Deorum amicos, tum Deos Sapientium ». Veram porro amicitiae notionem cum hac sententia minime convenire probandum auscipit. Col. I.

XIX. Zenoni pariter vitio vertit, quod » secundum Deorum proprie- » tatea extollat eas, quae Sapientium sunt »; quodque tum liberam Deorum loquutionem, tum adparatum frugalem, et utenti adcommodatum, tum gratiarum actionem, tum denique donorum acceptationem Sapientibus tribuat, ut eos Diis ipsis similes probet. Statuit deinde ad Deos aeque ac ad sapientes spectare illud Epicureorum, simulque Stoicorum placitum; videlicet ad felicitatem conferre, quod alienis careas negotiis, et tua cures. Subiicit vero inter nugas amandandum esse aliud Stoicorum paradoxum, videlicet Sapientem posse publica negotia expetere, et agere, quin privatae vitae otium et tranquillitatem amittat. Ait enim, publica negotia » perpetuam mentis » contentionem adferre » ac propterea ab Epicureis reiici, nisi si quid intervenerit. Col. II.

XX. Transit praeterea ad definiendum Deorum corpus; atque illud ita integris constare membris adserit, ut omnes Dii utique pares sint. Dum vero eas quaestiones adtingit: » num membrorum usum habeant Dii, et quemnam » ordinem haec servent », quomodo ipsas enucleet, prolixa lacuna legere non sinit. Queritur porro, quod prae aliis philosophis Epicurei odio hominum et insectationibus immerito subiiciantur; ac fatetur istos iniuriis atque acri argumentorum impetu in adversarios invehi, praesertim vero a translatis dicendi modis, quos Stoici in deliciis habebant, abhorrere. Col. III.

XXI. Nescimus autem, lacuna interveniente, quomodo ad Divinationem tollendam animum intendat. Certe quidem Herculis fabulam indicat, qui tristissimam mortem oppetiit, quia ignoravit tunicam sibi a Deianira missam veneuato Centauri sanguine fuisse infectam. Quo ex argumento eruere videtur, Divinationem vel ipsis Semideis negatam fuisse, ipsisque nullam adtulisse utilitatem. Illam tantum Divinationem admittit, qua naturalibus significationibus observatis » quodvis es semper fatidicum hominibus fiat » propter hanc cognitionem: quaecumque enim a prodigiosis significationibus Col. IV.

» sine Divinatione eduntur (caetera enim quid prodest non esse occulta?), » facile praedicuntur ».

XXII. Pergit ea omnia Diis abiudicare, quae noxia sunt, quaeque
Col. V. mortalibus propter ipsorum successionem obveniunt. Ubi illam Epicuri doctrinam indicare videtur, qua mala universa, ipsaque mors a necessaria rerum successione repetuntur; siquidem ea putabantur idcirco a natura comparari, ut generationi praetereunti altera succederet. Quare subiungit: » neque alii quidem Dii deficiunt, alii vero vigescunt; sed omnes Dii, » omnesque Deae infinitam vitae diuturnitatem habent: neque in sapientiae » studio, neque in perficiendis universis animi bonis distinentur, sed vo» luptatibus incorruptibilibus beantur ».

XXIII. Ut autem ab Stoicorum argumentationibus sese extricet, qui
Col. VI. Deos sanguine ex Epicuri sententia concretos, sanguinis ipsius incommodis, et corruptioni subiiciendos necessario fore dictitabant, Metrodori condiscipuli sui auctoritatem in medio ponit. Is enim sanguinem Deorum talem esse negabat, qualis in nobis est, eisque adfectionibus purgabat, quae corrumpendae animae (quam corpoream, et mortalem Epicurus praedicaverat) aptae essent. Neque ab anima ipsa voluntatis actus, atque omnem ad res tum sciendas, tum agendas conatum pendere putat; immo id prorsus irridet; sed Magistri sententiam sequutus omnes animi sensus, adfectiones, adpetitus, ipsamque voluntatem a corpore indita animae opinatur. Deos itaque omnibus sanguinis nostri malis liberatos ita constituit, ut » habeant » vicissitudines omnium gaudiorum, quia aliqua deficiunt, reliqua perma» nent, sed nulla harum vicissitudinum iis invitis contingat. Quapropter » dum sine ira omnia crimina absolvunt, et per suam tranquillitatem mente » semper placata fruuntur; in perficienda omnium virtutum manifestatione
Col. VII. » securi sese exercent » quum ea sint potestate praediti, ut universa felicitati comparandae opportuna sibi administrent, et quaecumque voluerint, adsequantur. Quare iis cupiditatibus immunes sunt, quae homines torquere solent, quaeque, ut plurimum, minime sunt naturales. His itaque amotis, magnum vitae bonum Diis adsciscitur, praesertim quia *circa*, *ad*, *per* terrenas *res* nullum bonum nanciscuntur, et sine his omnia habent in sua potestate. Si enim homines non idcirco infelices sunt, quod ea nesciant, quae nullam utilitatem praebent, ex. gr. quot fluctus Deucalionis naviculam insectati fuerint; multo minus Deorum beatitudo laedetur, quod nesciant, aut non habeant res humanas. Ita scilicet opinari Epicureum hominem non miramur.

XXIV. Stoicos deinde refutat, quod fato Deum subiiciant, quem omnia
Col. VIII. facere, et noscere fatentur. Hanc praecipue sententiam putat Dei potestati et notioni adversam, qua Stoici eum negant posse cunctos homines sapientes et felices reddere, et omne malum averruncare. Evertit profecto Dei notionem Chrysippus, dum » in Libris de Divinatione dicit Deum non posse omnia » scire, quia nec omnia habet ». Atque heic Stoicorum vafritiem tangit, qua dum Dei nomen proferunt, vulgi more omnipotentiam ei tribuunt, et populi aures huiusmodi loqutione mulcent; sed suis dogmatis Deum omnipotentem non esse demonstrant. Enimvero fato Stoico semel admisso, Dei omnipotentia prorsus evanescit: ac si natura agnoscatur, uti Stoicis placuit, perfectionis minime capax, et malis necessario subiecta, Deique potentia ad illam perficiendam prorsus inepta; ipsum omnipotentem quomodo agnoscamus, Philodemus iure meritoque ignorare se dicit. Ita igitur concludit duas disquisitiones, alteram scilicet de Deorum membris, cuius in Col. III. occurrunt primordia; alteram de exercitatione et potestate Deorum, quam adversus Chrysippum huc usque pertractavit; utramque vero uti continuum

commentarium, aut excursum se lucubrasse fatetur, ut lucem argumento, de quo agitur, posset afferre.

XXV. Denuo adversus Chrysippum insurgit, qui Mentem Divinam esse immortalem docuit, varias autem mundi partes, quas etiam Deos vocabat, morti obnoxias non diffitebatur. Is nimirum autumabat » pro nonnullis rebus » quidem Deos esse aquam, pro aliis aërem, ac terram, et hoc quidem in » Diis esse animalium, hoc autem plantarum, et lapidum. Pro ista doctrina » maxime necesse est, ut nonnullis Diis quidem duratio finiti temporis » aliis vero aeterna sit; quos oportet nullum, ne minime quidem, exitii » principium incurrere. Ut enim omnia aliquam habent durationem, mul- » tasque res, quae ad ea servanda simul operantur; ita circa Deum, » quamdiu propriam speciem, et vim, et immortalitatem, et alia eius natu- » rae coniuncta non habet, communis ipsius notio minime suppeditatur ».

XXVI. A Deorum duratione ad ipsorum sedem investigandam gradum facit; et primo quidem varias Philosophorum sententias memorat; deinde Stoicos insectatur, qui Deos Astris modo circumponebant, modo inserebant. Adcipe, lector, Auctoris sermonem: » a nonnullis enim expedite, et » facile in coelis intelliguntur regiones ipsius Dei, rerumque ad eum per- » tinentium; atque ab illis non comparantur notiones purae; aliquid enim » puerile dicunt, quum meras etiam exhibeant semper imaginationes. Alii » vero circa terram rerum minime convenientium opinationibus se foedant, » et de ipsis utique distantiis errant; atque cum principiis diversis ab iis, » quae spectantur, miscent, et confundunt aliquando cognomines naturas; Col. IX.
» ut in eadem distantia, in qua Sol, et Luna spectantur, Sol, et Luna re » ipsa sint: quemadmodum in una eademque adparentia plures varii colores » incidunt; uti quum ipsissimum sit speculum, eiusque repraesentatio; spe- » culum quidem prorsus parvum, repraesentatio vero magna adparet. In hac » autem ipsa re id dicimus, aliquando non omnem distantiam dividendam » esse per numerum; quoniam ad aliud quidem illa, ad aliud vero hic » refertur. Habent profecto Astra extinctionem, et incensionem; non autem » colorem etiam singulorum Astrorum animadvertimus; et re vera animad- » vertuntur colores adparentiae, quia, scilicet, simul utrumque consideramus. » Atque ex parte dicendum est, nos de eadem distantia notionem omnino » imperfectam habere. Quamobrem Deos Astris nec circumpositos, nec in- » sertos dicere oportet: neque enim consentaneum est putare Deos in ma- » teriam esse proiectos, uti rectum non est dicere eos proiectos esse in hasce » res adeo parvas: sed oportet collocare in regione, quae superior est, non » in ea, quae intermedia est. Quare admittendum non est complicationes vel » maxime fieri harum rerum, quae separandae sunt; ac Deos una cum Astris » in orbem agi, hisque subiici: sed quum aliquis eorum, quantum voluerit, » superne, vel inferne discesserit, intermedium spatium praetergressus; alios » ante, vel retro considentes, locumque interpositum reliquit. Quando igitur » ipsorum » sedes nec Coelum, nec sidera, nec terra sunt; non alibi eos, quam in Intermundiis conlocandos censet Epicurus, eiusque Secta. Quod quidem ut confirmet, ipsos procul a ruinis, quao Coelo, ac terrae imminent, distare docet, ne timore concutiantur. » Non enim terreri utique Deum pro » aliqua re dixit Apollodorus; atque ipsum longe abesse ab iis, quae apud » nos generandi, ac dissolvendi vim habent, ne his commixtus ab immorta- » litate adsequenda impediatur. Deum enim ab iis, quae inter se colliduntur, » impedimentis longe facessere oportet. Pro eadem antem distantia ad ea, » quae communiter generantur, et dissolvuntur in natura, nullum Deorum » revertentem effutire par erat, sed nec etiam quod ex aliquibus animalibus Col. X.

» prolem et ipse Deus gignat. Nimirum ob ea, quae modo dicta sunt, etiam » recte se habet, ut honoremus, veneremurque istaec Numina, et quidem » magis quam simulacra a nobis facta, et novos Deos; quia res veteres sem- » per connectuntur cum rebus omni veneratione dignis; novae autem non » item ».

XXVII. Iam vero ut derīdiculam illam Stoicorum opinionem, qua Deos Astris inditos esse putabant, atque cum iisdem rotari, et circumvolvi, ut orbitae certis temporibus rite conficiantur, magis magisque refellat, subdit: » Neque enim putandum est eos nullam aliam occupationem habere, quam » per infinitas vias et loca ire, et redire, uusquam quiescentes; etenim aut » est in via semper beatus is, qui vagatur prandii quiete carens, aut im- » mobiles Dii censendi sunt ».

XXVIII. Despicit subinde fabellas vulgo receptas, ac Stoicis fortasse gratas, quibus certamina Deorum evulgabântur. » Neque certamen, inquit, » aliquid, aut quidpiam huiusmodi ad eos pertinere concipitur; simulque » illis neque indigentia, atque secundum ipsam naturam neque labor incidit»; sed gerrae germanae sunt, quae hac de re de ipsis narrantur. » Etenim ex falsis » opinationibus certamen ad Deum pertinere concipitur, quemadmodum » certamina Phoebo Paeoni instituerunt. Atque ita in aliis atque aliis pro » aliis atque aliis principiis, quae neque extant, neque ratione concipiuntur, » caeterae res circa singulos Deos falsae sunt, neque unum quidem re vera » factum est. Atque id ipsum pariter dicendum est de certamine; quemad- » modum nos, et de tali vivendi genere, quia etiam motum habet, diximus ». Ut adlatis autem argumentis aliud adiiciat, quo probet Deos cum Astris minime volvi; hoc addit, quod si Astra essent a Diis animata, simulque moverentur; Dii, et Astra unam substantiam, unum situm haberent; quemadmodum Epicurei substantiam animae, et corporis humani unam, eamdemque esse rebantur. Quum vero talis Deorum, et Siderum similitudo absurda sit; Stoicorum sententiam explodendam concludit.

XXIX. Instat porro nova argumentatione, ut demonstret Deos Astris insertos Astrorum vicissitudinibus fore obnoxios, suasque proprietates, quae semper eaedem consistere debent, esse amissuros. Inquit enim: » Quin etiam » secundum expositam rationem huiusmodi Deus vicissitudinibus obnoxius,
Col. XI. » dum iisdem proprietatibus constat, contingit aliarum rerum naturam in » temporibus ad res genitas pertinentibus. Est enim quispiam terminis cir- » cumscriptus, in quantum eius elementa spatium praescriptum non excedunt; » loca vero, quae in hoc spatio distincta in partes sunt, partite modo illa, » modo ista contingere debet, ut unitates etiam ex ipsis elementis constantes » moveri facile concipiantur; neque enim condensationis divisione solidum, » aut alia motus difficultati subiacere in loco nos, uti deceptores, negamus. » Adfirmant autem Stoici existimandum esse Deos ipsos omnino non consi- » stere; sed nos, qui solidi manemus, neque manere, neque moveri, ut illi » dicunt, utique possemus, nisi Deorum aliquis solidus subesset ».

XXX. Ut autem evincat id omnino falsum esse, et absurdum, protinus subiungit: » Si quis enim Deum finget participem solidi, uti illud regentem, » et moventem, qualem re vera fingit; quomodo Deus nescit imminuere de- » scensus rerum, quae in sublimi fiunt, molestos; quando natura fert con- » cretiones ac densitates continuas contra se ipsam? Si autem ipsum omnino » otiosum, qualis et ipse est, finget, et simul in solido; etiam hanc senten- » tiam nequaquam multi comprobarunt; quisquis enim haec dicit, irridetur; » siquidem absurdam *esse* eius opinionem, et systema, omnes facile agno- » scunt.

XXXI. Progreditur deinde ad investigandam Deorum supellectilem, inquiens: » Si enim multis ex caussis nullam etiam supellectilem possedit, quia » nulla re indiget aliquando Deus; cogitandum non est eum aliquam ostentare, perinde ac si haberet. Si vero amat Deus ibi tum lectos, tum reliqua, quae nobis praebent utilitates, utpote nobis quidem abunde suppetentia, Diis vero in infinitis rebus ad salutem necessariis deficientia; oportet, » ut eorum, quoad potest, ipse sibi Minister sit. At enim de his iam aliquid » etiam supra dictum est ».

XXXII. Mox longiorem de Deorum somno sermonem instituit his usus verbis. » Nunc autem censendum est nos incidere in aliquos, ut aliquos » teneamus. Absurdum enim esse facile agnoscitur, quia nova partium ordinatio in Somni statu fit circa animalia, eaque multam habet cum morte » adfinitatem (quam ob causam etiam de animorum corruptione non improbabile conficitur argumentum deductum ex eo, quod Somnus partes » animae dissolvat); inde Deum non longe abesse, quum non pertingat quoque ad compagum dissolutionem. Si vero etiam Deo dormienti Somnia » adponenda essent, uti profecto etiam consentaneum videri posset; timendum » foret, ne Somnia animi perturbationes similes illis, quas dormiens Sapientis » animus patitur, consequerentur ». Quum enim ex Epicuri doctrina Somnum necessario sequantur Insomnia, eaque frequenter vel ipsorum Sapientium animos perturbent; non temere argumentari Philodemus sibi videtur, ubi inde deducit Deum non posse dormire; ne Insomniis territus, uti viris illis idemtidem contingit, beatitudinem tantisper amittat. Etenim subiicit: » Mente concipimus omnem securitatem esse Deo, quippe qui terrorem non » patitur. Non enim laborare eum in negotiis quispiam existimat, sed continenter vigilare per aeternam, et quietam vitam. Quare obnoxius non est » indignis mutationibus tum ad instituendam, tum ad comparandam vitae » rationem necessariis, quae animantibus immortalibus, et alias proprietates » habentibus minime congruunt. Quoniam vero Somnus in Diis minime ostenditur; non utique, vel per minimum tempus, illis contingere poterit, ut » amisso omni sensus vigore torpescant ». Col. XII.

XXXIII. Paucis vero interpositis, quae infesta abripuit lacuna, Zenonis illius, cuius doctrinam in hoc Tractatu exponendam susceperat, sententiam non abs re huc iniicit. » Zeno autem, inquit, variis ex causis » censet Somnum capere non esse idem, ac Somno indigere: idcirco transfert » ipsos Deos ad eum capiendum, et ad non capiendum, et utique non indigere transfert ad alterutrum: sed tamen censet ad incorruptionem ferre » Somnum non longissimo amandatum, ad corruptionem vero Somnum cohaerentem, neque hunc vero valde. Id autem ipsum incredibile esse patet, » quod scilicet illud quidem ad incorruptionem ferat, hoc vero ad dissolutionem: nisi talem intelligeret Somnum, seu aliquam adfectionem similem » illi, quam aliquando patimur quiescentes quidem, sed nondum proprie » dormientes: quod utique neque languorem excludit. Id autem hoc loco » adcuratius statuere licebit ». Col. XIII.

XXXIV. Et quoniam Somni originem a cibo repetebant Epicurei, aliqua de Deorum cibo aduectit Philodemus, quae ita se habent. » Quia enim ad » cibi digestionem Somnum adcommodatum esse docet Antiphanes, utique » ab nostra sententia recedere non cogimur, quum videamus nihil in Coelo » esse, quod a multo tempore digestiones sit excepturum. Quando vero cibum certis qualitatibus praeditum intelligamus; aliquid scilicet cogitantes, » quod et ab hisce omnibus omnino Diis sumatur, et subtile, et veluti totus » succus, et adpositum sit; quodque non quasi plurima praeparatione con-

» ficiatur, neque luctum, aut adhortationes ministrantibus inferat, nequa» quam huiusmodi opinionem absurdam dicimus. Quare si ipse cibus, et ea » quae sequuntur ob naturae vicissitudinem, in Diis cogitantur; quid opus » est, quum debeat eorum qualitas constanter servari, ut tantum quies huic » qualitati consentanea, si fieri possit, deseratur? Cogitandum est autem ex » Hermarchi, et Pythoclis sententia esse taberuacula, et circumpositos Deos: » sin minus, neque eos huiusmodi animalia reputabimus, qualis esse iam » consensimus; quemadmodum neque piscis censetur esse, qui non indiget » aqua, neque avis, quae non indiget alis ad volatum, neque currus, aut » alia huiusmodi, quae non indigent rotis ».

XXXV. Postquam igitur de Deorum conviviis haec statuit, ad eorum loquelam transit Philodemus; convivium enim sine colloquio apud veteres, et praesertim apud Epicureos celebrari non poterat. Diis itaque quum loquelam concedat: respirationem, pulmonum dilatationem, et calorem his verbis impertitur » neque dicendum est sermonem, aut sonum proferri ab » aliquo, qui respiratione non indigeat; sicuti neque dicendum est huuc » sibi non vindicare pulmonis dilatationem, et, qui inde sequitur, calo-
Col. XIV. » rem. Voce autem Deos uti, quae mutuo audiatur, dicendum est; non » enim eos feliciores, et molestiae immuniores cogitabimus, inquit (*utique* » Zeno); si ipsos non habentes vocem, neque mutuo loquentes, sed mutis » hominibus similes cogitabimus. Re enim vera quum voce utamur nos, » membris ad loquendum destinatis mutilati non sumus: Deos vero aut » mutilatos, aut in hoc dissimiles nobis dicere non licet; uti neque haben» tes aliud quidpiam, quod sermonem impediat; sed eos supra omnem pro» bitatem eligentes etiam cum aliis, qui probis viris similes sunt, conloquium » ineffabili ipsos voluptate profundens ».

XXXVI. Audet subinde in Deorum concilia sese ingerere, eorumque idioma, quodnam sit, nobis prodere; sed paucis se expedit. Inquit nimirum: » Et per Iovem censendum est eos Graeca uti lingua, aut parum inde dis» cedere: virtutes vero una cum sermone, et in disputando scientiam, et » prudentiam Sapientium retinere. Etenim ipsi dicuntur uti vocibus, quae » articulationibus non valde differunt a Graecis; atque tantummodo no» vimus genitos fuisse Deos Graeca lingua utentes. Quandoquidem etiam » singuli Dii ab aliis mutuo in conloquendo voluptatem sibi comparant; quid » utique prohibet, ipsos propriis virtutibus innutritos ad suam familiaritatem » admittere Deos sibi similes, non autem omne id quod tantum alienum est, » quantum propter primitivam originem fuit, scilicet homines? »

XXXVII. His ita expeditis ad totius Operis conclusionem procedit: » Quum igitur haec breviter tractata sint, quid utique adhuc sermonem » de rebus iam expositis ulterius protrahamus? Quapropter hoc pro certo » statuimus: videlicet quaedam oportet quaerere, et definire de Diis; quae» dam vero nec quaerere, nec definire, peculiari distinctione ipsa colligentes, » ut etiam Sapientium ea, quae oportet, deducentium sententiae admittan» tur ». Igitur ut aliquo exemplo probet non posse de Diis omnia investigari, et sufficere nobis pauca, quae conjecturis adsequi possumus, quum ab illis et natura, et loco simus remotissimi; ita omnino sermonem contexere videtur: satis ostendimus, quod ii » cibo utantur; interea minime novimus, » quae, et quales sint eorum Deorum constitutiones circa cibum, tum per » membra distribuendum, tum ad egestiones devenientem; etiamsi temere » admittamus, quod Dii et efformationes, et generatim nutritiones per vitales
Col. XV. » vires excipiant, exigantque, ea etiam, quae ad singulas partes spectant ad » se trahentes. Superi igitur (vituperantes alia deliramenta illorum, qui ita

» scripserunt, uti et ipsa Deorum natura abhorrebat) et servantur, et servati » sunt, et servabuntur per omne omnino tempus: atque ipsi sibi suppeditabunt convenientia omnia, quae mente quidem concipiuntur, sub sensus » autem non cadunt, uti cadunt ea, quae sunt in animalibus. Atque de Deo » cogitandum non est, quodcumque pertinet ad animantia omnia, et ad ea, » quae hisce similia sunt; neque enim obnoxius utique est praedictis rebus».

XXXVIII. Postremo illud praetereundum non est, hanc Papyrum Notis quamplurimis redundare, quas ad Graecam Palaeographiam illustrandam, Tabula adposita, delineandas edendasque curavimus. Ibi lector perspiciet novem adesse *compendia scribendi*, ut Petri Antesignani locutione utamur; quaedam enim sunt *litterarum*, quaedam vero *vocum compendia*. His porro non ultra latentibus, magna ex parte ruunt eruditorum coniecturae de recentiori huiusmodi Notarum inventione; quas vide, si lubet, apud Montfaucon, *Palaeograph. Graec.* Lib. V. Cap. I. Hermann. Hug. *De Prima scribendi Orig.* Cap. XVIII. *Nouveau Traité de Diplomat.*, Part. II. Sect. IV. Chap. 9. et apud nostrum Iannarium Xystum, *Indirizzo per la lettura Greca*, pag. 135, et seqq. *Napoli* 1758. Accedunt in eadem Tabula *Notae ad margines*, *quae periodorum aut capitum divisionibus subiiciuntur*, ut puncti finalis vicem gerant; vel sententiam graviorem, et notatu dignam in periodo contentam indicent. Denique in huius libri fine, uti et caeterorum Philodemi Operum occurrit Sigla Auctoris nomen indicans, cui respondere solet alia exterius signata, de qua celebre est illud Ovidii:

Indicet ut nomen littera scripta meum.


Quae utique omnia in hoc Volumine explanata non iniucundam, nec inutilem eruditis lectionem exhibitura confidimus.

XXXIX. Quaeret fortasse quispiam, num ex huiusmodi deliramentis aliquam Christiana Religio utilitatem sit perceptura? Ego quidem sic existimo, sic teneo, sic ingenue ac libere profitebor, mirum in modum ea confirmari, quae de Divinae Revelationis necessitate non modo recentiores, sed veteres etiam Ecclesiae Scriptores docuerunt. Hi enim ex gravissimis Philosophorum de Dei natura dissidiis argumenta eruerunt, ut humanae rationis imbecillitatem ad veram Religionem sibi constituendam comprobarent; Deique revelantis bonitati adceptum retulerunt, quod vel ipsi pueri apud nos facile et certe de Deo, eiusque operibus tanta cognoscant, quanta nec post multas disputationes, et cum plurium errorum admixtione magni etiam nominis Philosophi intellexerunt. Vide Clement. Alexandr. in *Protrept.* Cap. V. et *Strom.* L. I. Cap. 11. et 13. Iustin. *Cohortat. ad Graec.* n. 3. 9. *Apolog.* II. n. 10. et 13. Minutium Felicem in *Octavio* pag. 34. et seqq., tum pag. 350. *Lugd. Batav.* 1672, Tatian. Assyr. *Orat. contr. Graec.* n. 2. et seqq. Athen. *Legat. pro Christian.* n. 7. Euseb. *Praeparat. Evangel.* Lib. III. Cap. 6. et seqq. Theodoret. *Therapeut.* Orat. II. III. IV. et V. Lactant. *Divin. Instit.* Lib. II. Cap. 20. et Lib. III. Cap. II. et seqq. Tertullian. *Apologet.* Cap. XLVI. et seqq. Theophil. *Ad Autolyc.* Lib. II. n. 4. et seqq. Quum enim Philodemus tum Stoicos, tum Epicureos hac de re in oppositos errores incidisse, et pari cursu, tametsi dispari exitu, a veritate aberrasse heic nobis ostendat; quis umquam negabit Divino Verbo nos debere, quod in medio, ubi veritas virtusque est, consistamus, atque discussa errorum caligine admirabile Fidei lumen conspiciamus?

XL. Praeterea benevolis nostri voluminis lectoribus patebit, illud Philosophiae munus a Deo demandatum fuisse, ut homines ad rectam Dei cognitionem perduceret, Clem. Alex. *Strom.* Lib. VI. Cap. 7. eamque *praeviam quamdam eruditionem fuisse iis*, *qui Fidei per demonstrationem fructum colligunt*

idem *ibid.* L. I. p. 282. *Lutet. Parisior.* 1641. philosophorum autem vitio factum esse, ut *evanescentes in cogitationibus suis* (*Ad Rom.* I. 21.) talia effutirent, quae ab aliis refutarentur. Quod quidem nos in hoc *De Diis* Tractatu observamus, ubi *veritas* interdum, *cogente natura*, *etiam ab invitis pectoribus erumpit*, ut ait Lactantius *Divin. Instit.* L. II. c. 1. Tum heic dum Philosophi in refellendis adversariorum erroribus feliciores, quam in veritate statuenda esse cernuntur; miram Dei providentiam, quae Graecos ad expectandum verae Religionis Magistrum adducebat, et quodammodo incitabat, agnoscimus, atque admiramur. Denique haec foecundam Christiano homini eruditionis segetem parabunt, qui agnitas ab impiis philosophis veritates *tamquam ab iniustis detentoribus*, ut ait Augustinus, sibi in obsequium Fidei vindicat; ipsosque eorum errores ab aliis pariter errantibus reiectos ut verae Religionis triumphum censet, et plaudenti populo ostendit.

Compendia Scribendi



ΕϹΤΙΝ

Λ *apostropho delenda*

ΠΡΟϹ

ΚΑΙ

ΤΩΝ

ΤΡΟΠΟΝ

ΧΡΟΝΟΝ

ΑΝΗ

Notae ad margines, quae periodorum, aut capitum divisionibus subiciuntur.




Nota in libri fine



ΦΙΛΟΔΗΜΟΥ.

G. B.ª Casanova del. *A. Biondi inc.*



G. B. Casanova dis. *L. Corazza inc.*

ΦΙΛΟΔΗΜΟΥ


ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΤΩΝ ΘΕΩΝ

ΕΥΣΤΟΧΟΥΜΕΝΗΣ ΔΙΑΓΩΓΗΣ ΚΑΤΑ ΖΗΝΩΝΑ.

PHILODEMI

DE DEORUM VIVENDI RATIONE

PER CONIECTURAS INVESTIGATA SECUNDUM ZENONIS PLACITA.



FRAGM. TAB. I

G. B.a Casanova dis. R. Biondi inc.

FRAGMENTORUM

TABULA I.

Num. 1.

. . . . ανδρα ὁ Ζηνων ἑκαστον των θεων απειρα κατεχειν δη τα ευτυχη . . . . ων εν συναχολαθει. ει μη τι των αιωνων, και αξιουται διαλυ-

. . . . . . effatur Zeno singulos Deos infinitas habere annorum utique felicium periodos . . . . . . *Porro alibi adserit ad eos* non utique pertinere aliud, nisi quamdam saeculorum seriem; et dignos censeri, qui corrumpendi sint,

CAP. I. De diuturna Deorum vita quid senserint Zeno, et Nicostratus.

2.

σαμενος, ὡς μετα της θεας. Οἱ δ' εκεινοι αιωνες, ουκ εχοντες αρχην ἁπασαν αγνοουσιν, ὡς ουκ αρχην, ουδ' αρχικα απαιτουμενα, αλλ' αιωνιον των αιωνιων νοησεων τροπον· η χαριεν ειη περι μηδενος των ιδιων και επιζητειν, μηδ' αποδιδοναι. Νικοστρατος δε και τουτων τι προσερει, και το γ' εργον αναγκαιον, και τον τροπον προηγουμενον . . . .

veluti post exhibita spectacula. At vero illa saecula, quae finem non habent, nullum principium agnoscunt; ut pote quae neque principium, neque aliquid ad principium pertinens exigunt, sed modum, qui aeternos aeternorum conceptus continet; aut lepidum esset, nullam proprietatem semper inquirere, et nullam definire. Nicostratus autem etiam horum aliquid addit; *videlicet* et opus necessarium, et modum praestitutum *esse; ac propterea Deus, etiamsi opera sua post certas periodos mutet, tamen ipse aeternus, et immutabilis est.*

ADNOTATIONES.

Lin. 1. αυδα). Hoc verbum, aut aliud ex ipso compositum, quod apud prorsae orationis Scriptores fortasse frequentius est, refingas, oportet; ut Zenonis, de quo in Praefatione fuse egimus, *effatum* ειρωνικως indicetur. Neque nobis improbes, lector, quod Fragmentum paucis litterulis constans typis edendum censuerimus: habet enim Zenonis mentionem, quam in caeteris Tabulis frustra requires; et eum eo, quod secundo loco posuimus, cohaerentem sensum prae se ferre videtur.

Lin. 1. et seq. ἑκαστον κ. λ.). Zeno, uti iam disseruimus, et unum Deum, et plures Deos esse docuit; quia ipse Zenonis Deus, uti diversis Mundi partibus praeest, et inest, ita diversa adsumit nomina; immo hae singulae partes Deus sunt: οἱ Στωϊκοι Θεον αποφαινονται....τας προσηγοριας μεταλαμβανοντα δι' ὁλης της ὑλης, δι' ἡς κεχωρηκως παραλλαξει· Θεον δε και τον κοσμον, και τους αστερας, και την γην, τον δε ανωτατω παντων νουν εν αιθερι. *Stoici Deum adpellant eum, qui nomina adsumit a totius materiae, quam pervadit, mutatione: Deum autem et Mundum, et astra, et terram, et quae omnibus superior est, mentem in aethere.* Plutarch. *De Placit. Philosoph.* L. I. c. 7. Praeiverat Tullius his verbis: *Deus pertinens per naturam cuiusque rei, per terras Ceres, per maria Neptunus, alii per alia, poterunt intelligi, qui qualesque sunt. De Nat. Deor.* L. II. c. 40. Quum igitur tellus, astra, mare longam durationem, eamque felicem habeant, recte a Philodemo inducitur Zeno adfirmans *singulos Deos infinitae habere annorum utique felicium periodos.* Cuius lectionis, ac versionis ratio mox luculentius patebit.

Lin. 5. et seq. διαφθισαμενος). Hoc ceteris απο του φθιειν compositis verbum novum adiungimus, quo Philodemus Zenonem pungit, adserentem διαφθιεσθαι eos, qui passim Αφθιτοι, *incorruptibiles, immortales* audiunt. Quod autem sequitur: ὡς μετα τας θεας, primo quidem interpretabamur: *veluti post Deas;* perinde ac si diceret Philodemus Deos quasi post Deas esse ex Zenonis mente corrumpendos. Etenim Dii, Deaeque omnes ab Stoicis partes Universi habebantur; e. g. Ἡραν φασι, κατα την εις αερα διατασιν, και Ἡφαιστον, κατα την εις το τεχνικον πυρ, και Ποσειδωνα, κατα την εις το ὑγρον, και Δημητραν, κατα την εις γην· *vocant Iunonem, quod extendatur in aëre, Vulcanum, quod in igne artificiali; Neptunum, quod in humore; Cererem, quod in terra.* Diog. L. VII. segm. 147. Adde Tullium *De Nat. Deor.* L. II. n. 66. et seqq. Consule, si vacat, Menagium alia testimonia huic sententiae lucem adferentia colligentem. Quum autem singulae huius adspectabilis Universi partes corruptioni sint obnoxiae, quumque Deae Diis debiliores putarentur; non temere Stoicorum insectator arguere poterat hos post illas esse corrumpendos. Verum secundae curae, quae sapientiores esse solent, aliam nobis insinuarunt interpretationem; ut scilicet, ὡς μετα τας θεας, *veluti post exhibita spectacula*, redderemus. Zenonis enim Deus, postquam varia suae virtutis specimina in Universo edidit; ea, et seipsum corrumpit, ut rursum gignat. Diog. *ibid.*

Lin. 7. αιωνες ουκ εωντες). Hoc sensu non admodum usitato το εαν usurpat N. A., ut lectorem παρονομασια delectet, atque ex ipsa αιωνος etymologia veluti per *notationem* adversarium suum irrisioni exponat. Neque enim quasi αει ων, uti Aristoteles ait in L. I. *De Coelo* c. 9. αιων dictus ei videtur, sed quasi εων, nempe qui debeat aliquando *cessare*, et post centum ipsos annos *desistere.* Iam vero quaenam sint saecula, de quibus heic agit Philodemus, probe intelliget, qui ob oculos habeat eam Zenonis sententiam a Laërtio posteris traditam: ὁ Θεος.....κατα χρονων ποιας περιοδους αναλισκει εις ἑαυτον την ἁπασαν ουσιαν, και παλιν εξ ἑαυτου γεννα, *Deus.....per temporis certos circuitus in se ipsum omnem substantiam consumit, ac eam rursus ex se ipso gignit.* L. VII. segm. 137. Adde et Philonem: δυναται δε κατα Στωϊκους ὁ μεν τις Κοσμος αιδιος....λεγεσθαι....περιοδοις αθανατιζομενος ουδεποτε ληγουσαις, *potest autem secundum Stoicos Mundus aliquis aeternus.....dici* (seu Deus, qui idem ac Mundus ab ipsis censebatur).....*certis periodis immortalis factus, quae nunquam desinent.* Lib. *De Mundi Immortalit.* Quod igitur Zeno, et Philo χρονων περιοδους nuncuparunt, hoc non immerito αιωνας, immo αιωνας ουκ εωντας, Noster adpellat; quia hae temporum periodi nondum *desiverant*, et nesciebat, quando tandem *desinerent.* Ceterum *saecula*, et *periodos*, seu *conversiones* coniungi, ac invicem referri legimus apud Tullium: *saecula nunc dico, non ea, quae dierum noctiumque numero annuis cursibus conficiuntur; nam fateor ea sine Mundi conversione effici non potuisse. De Nat. Deor.* L. I. n. 21.


Lin. 8. ουδ' αρχικα). Ex Lexicographis minime disces το αρχικον ad *principium* posse referri, quum exempla, quae passim adducuntur, *principatum* potius innuant. Sed sententia Philodemi novam significationem potius requirere videtur; docet enim non posse habere principium ea, quae finem non habent. Id in Epicureum hominem apte quadrat, qui putabat animos esse corruptibiles, ac τεσσαρας φυσεις κατα γενος αφθαρτους, τα ατομα, το κενον, το απειρον, και τας ὁμοιοτητας, *quatuor genera naturarum incorruptibilium, atomos, inane, infinitum, et similitudines.* Plutarch. *De Placitis Philos.* L. I. c. 7. Deo itaque principium nullum signavit. At Plato inquit: Θειαν αρχην ηρξατο απαυστου, και εμφρονος βιου in *Tim.* quod Cicero interpretatur: *Divinae, sempiternae, sapientisque vitae induxit exordium. De Univ.* n. 25. Et ibidem n. 4. η γεγονεν απ' αρχης τινος αρξαμενος, quod eodem interprete sonat: *an ortus sit ab aliqua temporis principatu*, ubi de *Universi* principio disputat. Caeterum si αρχικα, et αρχην non ad tempus, sed ad αιτιον referas; nihil incommodi patietur Philodemi argumentatio, aut interpretatio nostra. Quum enim Stoici *Universum* dicant *Deum*, simulque *Universi* duas αρχας constituant, scilicet το ποιουν, και το πασχον, illudque vocent *Deum*, hoc *materiam;* sibi ipsi adversantur, dum *Deum* ipsum et *principium* adpellant, et a *principio* procedentem. Vide Laert. L. VII. segm. 134. Cicer. *De Nat. Deor.* L. II. Senec. *Epist* LXV.

ADNOTATIONES.

Lactant. *De Divin. Instit.* L. VII. c. 3. aliosque, quos recenset Lipsius *Physiol. Stoic.* L. II. c. 4. Igitur iure Philodemus huiusmodi doctrinae repugnantiam irridet; ac *lepidum* esse dicit, quod Zeno, qui apud Suidam saepe Deum vocat ιδιοποιον, rebusque passim apud Laërtium τα ιδια tribuit, atque definit, heic proprietates *aeternitatis*, et *saeculi* minime distinguat.

Lin. 10. χαριν κ. λ.). Ita omnino vertendum autumamus, ut Philodemus exprobret Stoicis, quod ipsis postea Lactantius exprobravit; ita scilicet de Divina natura disseruisse, ut propositiones suas singulas ipsi ridicule refellerent: *in quo*, ait, *Stoici tam inconstantes fuerunt, ut nihil dictum sit ab his, quod non ab iisdem fuerit eversum. Divin. Instit.* L. II. c. 6. En autem lepida contradictio, quam Noster indicat, quaeque rerum proprietates evertit. Zeno Deum censebat esse Ζωον αφθαρτον, *Animal incorruptibile* ex Laërt. L. VII. segm. 147. eumdem autem cum terra, mari, stellis etc. confundebat, *ibid.* quae omnia αναλισκεσθαι, *consumi* praedicabat segm. 137. Rursus hunc Mundum Deum esse docebat, ex Cic. *de Nat. Deor.* L. II. n. 11. Mundum vero ipsum futurae, uti mox legemus, subiiciebat conflagrationi. Quomodo itaque Deus erit *Animal incorruptibile?* Aut quomodo *proprietates* corruptionis, et immortalitatis recte *definientur?*

Lin. 12. Νικοστρατος δε κ. λ.). Cuiusnam Nicostrati sententia heic proponatur, inquirendum est; quum *constet plures floruisse Nicostratos Macedone antiquiores. Fabric. Bibl. Graec.* L. III. c. 30. §. 9. Fortasse is fuit, quem cum aliis veteribus Philosophis adlegat Artemidorus, et Ephesium vocat: αρεσκει ταυτα και Νικοστρατω τω Εφεσιω. *Onirocr.* L. I. c. 2. Videtur autem Nicostratus Stoicus fuisse, ac Zenonianae de Deorum duratione sententiae patronus. Ad primum quod attinet, si is inter Onirocriticae Artis Scriptores, uti innuit Artemidorus, locum obtinuit; Stoicae potius Sectae dedisse nomen, quam Epicureae constat; ac propterea post Zenonem non abs re a Philodemo memoratur. Stoici enim in agnoscenda Divinatione primas tenebant adversus Epicureos; quippe qui huiusmodi rem, ut χλευασμους, και γελωτας, *sannas, et risus* traducebant. Plutarch. *De Oracul. Defectu.* Quare Cicero *nihil,* inquit, *tam irridet Epicurus, quam praedictiones rerum futurarum. De Nat. Deor.* L. II. n. 162. et alibi, *doleo*, ait, *Stoicos nostros Epicureis deridendi sui facultatem dedisse; non enim ignoras, quam ista derideant. De Divin.* L. II. n. 39. Item Petronius tradit *Epicurum huiusmodi ludibria facetissima ratione condemnasse. Satyr.* c. 64. Ac praesertim de somniis id habet Tertullianus: *vana in totum somnia Epicurus iudicavit, liberans a negotiis Divinitatem.* Lib. *De Anima.* Adstipulantur et Laërtius L. X. segm. 149 et Lucretius L. IV. v. 584. et L. VI. 378. et seqq. Ad alterum porro quod spectat, mutilam sententiam ex praecedentibus ita restituimus, ut Nicostratus adserat *opera* a Deo condita esse *necessaria*, eorumque *modum* esse *praestitutum;* ac propterea eius aeternitati, atque immutabilitati nihil derogare. Haec enim doctrina, Stoico Philosopho conveniens, Philodemo refellenda obiiciebatur. Nimirum Zeno *fatum* admittebat, illudque definiebat *connexam rerum caussam, sive rationem, qua Mundus administratur:* εστι δε ειμαρμενη αιτια των οντων ειρομενη, η λογος, καθ' όν ὁ Κοσμος διεξαγεται. Diog. L. VII. segm. 149. Consonat Tullius in Libr. *De Fato*, et in I. *De Divin.* n. 55. Plutarchus vero Stoicos agnovisse tradit την αναγκην, ανικητον αιτιαν, και βιαστικην· την δε ειμαρμενην συμπλοκην αιτιων τεταγμενην, *necessitatem esse insuperabilem, et violentam rerum causam; fatum vero ordinatam esse causarum connexionem. De Placit. Philos.* L. II. c. 28. Nicostratus idcirco, utpote Stoicus, *opus* naturae dicit *necessarium*, et *modum*, sive *nexum praestitutum;* ut ita suos Deos a mutationis perpetuae turpitudine, et Zenoniana dogmata a contradictionis nota liberet. Erit igitur, nisi fallimur coniecturis, haec sententia, quam refutandam Philodemus sibi proponit: *opera Dei sunt necessaria, eorumque modus est praestitutus: ideoque etiamsi ea mutentur, non tamen mutatur Deus, aut aeternus non est.*



G. B.a Casanova dis. R. Biondi inc.

FRAGMENTORUM

TABULA II.

Num. 3.

. . . . Ουχ υπειλαβομεν δε ἁπλως γε τον Κοσμον επιδεδησεσθαι προς περιεχοντων των ευστηριων απειριαν, ουδ' ὅλως προς μονων χιλιων, ουτε διαμονην εστι ποιειν απειροχρονιον, ὡς

Non autem opinati sumus absolute Mundum illigari infinitae annorum felicium, qui ipsum complectantur, neque omnino mille annorum seriei; neque duratio facienda est indeterminata, ut

Cap. II. Stoicorum opinio de Mundi duratione reiicitur

4.

εις μηδεν, εξ οὗ κολουεσθαι δει, η εις πυρ μεταβαλλειν το Παν· αλλως νυν ὁριζομενοι τ'αγαθον, ἑτοιμον εσεσθαι καθ' ἑκαστον, τοις μεν θνητοις μη πολυχρονιον ἑαυτο παρατηρειν, δια το τοις μεν ουκ ειναι δυνατον αοριστικας τηλικουτων ενιαυτων εμμενειν χιλιαδας, μητ' εχειν ασωματως· τη δε των μακαρων απειρω διαμονη . . . .
. . . .

in nihilum, a quo *Mundi durationem* mutilandam esse oportet, aut in ignem deiiciatur Universum: quum aliter nunc definiamus Bonum, id scilicet quod singulis rebus congruum sit, mortalibus quidem non diu durabile se ipsum servaturum, quia his quidem possibile non est infinita huiusmodi annorum millia perdurare, aut esse sine corpore; Deorum vero beatorum infinitae durationi *se ipsum adcommodans, quum hi sint incorruptibiles, et corpore mortali careant.*

Lin. 1. et seqq. Ουχ ὑπελαβομεν κ. λ.). Negationis formam huc iniecimus, quia negabant Epicurei, quod Stoici de Mundi duratione dictitabant, quodque conceptis verbis expositum heic invenitur. Stoici enim *Mundo minantur interitum, et hoc Universum, quod omnia Divina humanaque complectitur, dies aliquis dissipabit.* Senec. *Consol. ad Polyb.* init. Hunc autem interitum post περιοδους απειρους eventurum dixit Didymus apud Euseb. *Praep. Evang.* L. XV. c. 15. Numenius autem meminit της του Κοσμου κατα τας περιοδους τας μεγιστας γινομενης Φθορας, apud eumdem *Praep.* L. XV. c. 18. Profecto huiusmodi *periodi infinitae*, et *maximae* pertinent ad eum *Annum*, quem *magnum*, vel *maximum* nuncupabant: *est praeterea Annus*, inquit Censorinus, *quem Aristoteles maximum potius, quam magnum adpellat. De Die Natali.* C. XVIII. *post med.* Ipso etiam spatio *includi Universum* docet Seneca: *ab initio Mundi usque ad exitum quidquid facere, quidquid pati debeat, inclusum est. Quaest. Nat.* L. III. c. 29. Habes igitur in talibus Stoicorum doctrinis, cur Philodemus memoret περιεχοντων των ιστορηματων απειρων. Quaeres fortasse, cur illud, προς μονων χιλιων, subiiciat? In memoriam revoca, quid Stoici de *Anno Mundano* ad *mille annos* protrahendo effutierint. Censorinus autem plurium Philosophorum sententias recenset, ac praesertim Orphei, *qui ad centum millia viginti*, et Cassandri, *qui ad tricies sexies centena millia Annum* illum producunt. *De Die Natali. Ibid. paullo post.* Immo Iulius Firmicus nonnullos innuit, qui *trecentorum millium annorum spatio* Mundi durationem metiuntur. L. III. Cap. 1. Vide etiam Macrobium. *In Somn. Scip.* L. II. c. 11. Denique Philodemus non abs re διαμονην απειροχρονιον respuit, quandoquidem Stoici χρονων μακρας περιοδους, *longa temporum intervalla* Universo tribuebant, Philo *De Mundi Incorruptibilit.* pag. 489. Tom. II. *Opp. Ed. Mangey*; cumque *statum* μονην vocabant, ut ait Numenius apud Euseb. l. c. Quamobrem liquido constat omnes huiusmodi doctrinas, quasi trifariam partitas, et memorasse, et respuisse Philodemum.

Lin. 5. et seqq. εις μηδεν κ. λ.). Voculas εις πυρ non temere supplevimus, eas enim ab Stoicis usurpatas deprehendimus. Αρεσκει τοις Στωικοις, ait Numenius, την ὁλην ουσιαν εις πυρ μεταβαλλειν, *placet Stoicis Universum in ignem convertere*, apud Euseb. *Praep.* L. XV. c. 18. Panaetio praesertim hanc των ὁλων εις πυρ μεταβολην non displicuisse tradit Stobaeus Phys. C. XXIV. et Orig. Contra Celsum. L. IV. n. 14. Verum πρωτος, και πρεσβυτατος, qui hanc sententiam tenuit, teste Numenio l. c., Zeno fuit, contra quem disserit Philodemus. Quid autem senserint hac de re Epicurei, et in quo Stoicis repugnaverint, breviter inquiramus: siquidem videntur utrique in eamdem sententiam convenisse. Inquit enim Octavius: *Stoicis constans opinio est, quod consumto humore Mundus hic omnis ignescat. Et Epicureis de elementorum conflagratione, et Mundi ruina eadem ipsa sententia est.* Minut. Felic. C. XXXIV. Consonat Lucretius. L. II. v. 1144. et seq.

Sic igitur magni quoque circum moenia Mundi
Expugnata dabunt labem, putresque ruinas.


Adstipulatur Plutarchus his verbis: Επικουρος Φθαρτον, ὁτι και γεννητον, ὡς ζωον, ὡς φυτον. *Epicurus (Mundum putat esse) caducum, quia ortus, ut animal, ut stirpem. De Plocit. Phil.* L. II. c. 4. Sed ubi ab Stoicis hi discrepent, primus auspicato animadvertit Lipsius, nec immerito sibi hanc gloriam vindicavit: *Epicurei*, inquit, *putant Mundos singulos (infiniti iis sunt) ut animal quoddam esse, et variis rationibus interire. Sed discrimen etiam ponebant plane cum Stoicis, etsi aliis verbis: Summam interire, Summam summarum manere aeternam. Id est,* διακοσμησιν, *sive Mundum hunc labi, at non* Κοσμον, *sive principia rerum, Atomos et Inane. Hoc discrimen sermonis in Lucretio aliquoties occurrit, nec satis Interpretibus observatum. Physiolog. Stoicor.* Lib. II. diss. 23. Porro has Lipsii coniecturas lacinia, quam prae oculis habemus, mirifice comprobat; non enim Stoicorum hac de re sententiam impugnaret Philodemus, si unum idemque, ut Octavius adserebat, sentiret; neque aliter, quam iuxta Lipsii mentem, in nostrae Tabulae contextu opinionum discrimen intelligi poterit.

Lin. 6. et seqq. αλλως νυν κ. λ.). De Stoicis novimus περι τ'αγαθου suas inscripsisse Tractationes de Mundi ortu, conversionibus, et conflagratione, uti monstrat Numenius apud Euseb. *Praep.* L. XV. c. 17. Epicurei vero, quos Noster sequitur aliter τ'αγαθον definiunt, scilicet κατα το της φυσεως οικειον, *quod naturae congruum est.* Epicur. *Rat. Sentent.* apud Laërt. L. X. segm. 141. Immo ipsis videbatur ὁ απειρος χρονος ισην εχειν την ἡδονην, και ὁ πεπερασμενος, εαν τις αυτης τα περατα καταμετρηση τῳ λογισμῳ: *ex infinita duratione non maior voluptas percipi potest, quam ex finita, si quis modo illius fines recta ratione dimetiatur.* Idem. *ibid.* segm. 145. Sent. 20. Rursus παν αγαθον, και κακον εν αισθησει, *omne bonum, et malum in sensu* reponebant Epicuri de grege porci; atque ex hoc lemmate deducebant, ου απειρον χρονον, *non infinitum tempus* esse a mortalibus optandum, neque mortem esse timendam. Idem *ibid.* segm. 124. Patet igitur ratio, cur Philodemus *Bonum* definiat id, quod singulis rebus congruat; et mortalibus quidem brevem, Superis autem immortalem vitam adtribuat.

Lin. 9. et seq. αοριστικας κ. λ.). Hariolando hoc verbum, uti et subsequens χιλιαδας supplevimus, litterulis superstitibus, et sensu ducti. Αοριστικος enim Graecis est *indefinitus*, ac τοις ὡρισμενοις χρονοις, *determinatis temporibus* opponitur. V. Aristotelem ap. Euseb. *Praep.* L. XV. c. 14. χιλιας autem a χιλιων, quod nuper legimus, abstrahitur: utrumque vero ad ενιαυτους referendum putamus. Propterea το ταυτων, uti minime opportunum, emendavimus: ac fortasse Orthographus (quod passim in hoc volu-

mine videmus), emendaverat, sed minutiora elementa superposita exeiderunt. Ενιαυτον τον μεγιστον Stoicorum, et περιοδους εξ αιδιου γινομενας reminiscimur, de quibus vide Numenium apud Eusebium *Praep.* L. XV. c. 19. Librum *De Brevitate Vitae* Seneca et ipse στωϊκωτατος sic exorditur: *Maior pars mortalium, Paulline, de naturae malignitate conqueritur, quod in exiguum aevi gignimur;* ipsam deinde querelam Aristoteli tribuit, quam Tullius Theophrasto in *Quaest. Tuscul.* L. III. c. 28. Quae autem Philodemus de diuturna Deorum vita subiicit, suo loco explananda suscipiemus.

Lin. 11. μηδ' εχειν ατοματως). Ita omnino legimus, non modo ut verborum insistamus vestigiis, sed etiam ut ad Epicureorum de Diis placita mox exponenda viam sternamus.



FRAGM. TAB. III

G. B. Casanova dis. — Ferd. Vertrella inc.

FRAGMENTORUM

TABULA III.

Num. 5.

. . . . Ὁ μεν εκεινος λεγει τον Θεον ουκ ειναι δεκτικον τοπου τινος, ουδ' αλω. Διαστελλεται δε και περι τουτων ὁ Επικουρος εν τω Περι Θεων. Διοπερ και εν ὁις το σαρκινον φθορας ειναι δεκτικον λεγει, το λαμβανομενον

. . . Illo quidem adserit Deum non suscipere aliquem locum, aut aream. De his autem Epicurus etiam fuso disputat in libro De Diis. Quamobrem etiam ubi id, quod carne constat, corruptionem recipere dicit; illud, quod sumit

CAP. III. Deus locum in Mundo non occupat. In qua re participem nostrae naturae eum censeat Epicurus.

6.

εννοει τας ἡμων ιδιοτητας· κοινων γαρ εστι της φυσεως ἡμετερας. Ουκ εχει δε ταυτα Στωϊκους επανακτους, ὡν το των αντιφανειων δογμα, τι ὁριζεσθαι των απροαιρετων πλειον, η των σπουδαιως δοκουντων, κενοις λογοις, ουκ εστι τ'αγαθον του. Αλλ' ουκ απο των . . . .

. . . .

nostras proprietates, intelligit: hoc enim est rerum nostrae naturae communium. Haec autem *ad consentiendum* Stoicos non revocant, quorum illud dogma evidentiae contrarium, statuendi scilicet magis aliquod temerarium, quam opinionem naviter probatam, vanis argumentationibus, nequaquam est bonum. At non ab. . . . . . .

Lin. 1. Ὁ μεν εκεινος κ. λ.) *Ille*, videlicet Zeno, cum quo Noster digladiatur, intelligendus est. Is enim loco, aut *area* Deum minime circumscribebat, quem *mentem*, et *Mundi animum* esse arbitrabatur. *Stoici.....interdum sic confundunt, ut sit Deus ipse mens Mundi, et Mundus sit corpus Dei*, ait Lactantius *Divin. Instit.* L. VII. c. 3. Praeiverat Tullius, his verbis Zenonis sententiam exponens: *Deum esse Rationem quamdam, per omnem Naturam pertinentem*; et, *Deum esse Animum, per Naturam rerum omnem intentum, et commeantem. De Nat. Deor.* L. I. n. 14, 11. Consonat Seneca, *Deus*, ait, *solus est omnia; opus suum et extra, et intra tenet. Quaest. Nat.* L. I. praef. pag. 623. T. II. *Amstelod.* 1672. Nimis itaque Stoicis infensus fuisse videtur Tertullianus, dum scripsit: *Stoici Deum extra Mundum statuunt, qui figuli modo extrinsecus torqueat Molem hanc. Apolog.* c. 47. Etsi autem isthaec doctrina Zenoni adscribatur, recto tamen stabit talo Philodemi a nobis restituta lectio; siquidem ablegato ab Orbe Deo, τοπος τις, και αλως ei in Orbe praescribendus non est.

Lin. 4. Ὁ Επικουρος εν τῳ περι Θεων.) Hunc Librum in Epicureorum voluminum catalogo sic recenset Laërtius: Χαιρεδημος, η Περι Θεων. L. X. segm. 27. Chaeredemum autem fuisse Epicuri fratrem docet idem *ibid.* segm. 3. Porro ad fratris huius, uti et alterius, nempe Aristobuli, ac Metrodori memoriam perennandam, eorum nomina suis inscripsit libris. Cuius rei vadem damus Plutarchum: τι δε τοσαυτας μυριαδας στιχων επι Μητροδωρον, επι Αριστοβουλον, επι Χαιρεδημον γραφομενας, και συνταττομενας φιλοπονως; Ἱνα μη αποθανοντες λαθωσιν. *Quid autem significant tot millia versuum Metrodori, Aristobuli, Chaeredemi nominibus inscripta, et studiose concinnata? Nempe ne post mortem lateant.* Lib. in illud, *Vive latendo.* T. II. p. 1129, *Francofurti* 1620. Ex quibus Plutarchi verbis liquido eruimus Tractatum Epicuri *De Diis* satis prolixum fuisse; patetque caussa, cur Philodemus verbo διαστελλεται usus sit, quod id omnino significat. Neque mirum est, quod de Deorum situ fusius ibidem disputaverit, qui Μετακοσμια, *Intermundia* ad eos commode collocandos excogitaverat, ridens fortasse ipse, dum scripsit, et ridendi materiam posteritati relinquens. Audiatur hac de re Tullius: *Deos enim ipsos iocandi causa induxit Epicurus perlucidos et perflabiles et habitantes, tamquam inter duos lucos, sic inter duos Mundos, propter metum ruinarum: eosque habere putat eadem membra, quae nos, nec usum ullum habere membrorum. De Divinat.* L. II. n. 40. Quod memorans Quintilianus, *Epicurus*, inquit, *humanam Deo formam, locumque inter duos Mundos dedit.* Lib. VII. c. 3. De huiuscemodi Μετακοσμιοις legatur Achilles Tatius in *Arat. Phaenom.* L. VII. c. 3. et Senec. *De Benefic.* L. IV. c. 19. Ex qua Magistri doctrina quod consequens deduxerint Epicurei, cecinit Lucretius. L. V. v. 147.

Illud item non est, ut possis credere sedeis
Esse Deum sanctas in Mundi partibus ullis.

Talibus imbutus disciplinis Philodemus animadvertit, Zenonem hac in quaestione cum Epicuro consensisse; quod neuter in Orbe τοπον, και αλων Diis adsignaverit; ille quidem, quia naturam spatio occupando minime idoneam ipsis tribuerat; hic autem, quia extra Mundi moenia habitantes confixerat.


Lin. 5. et seq. εν οἱς το σαρκινον κ. λ.) Deum, Menoeceo scribens, sic definit Epicurus: πρωτον μεν τον Θεον Ζωον αφθαρτον, και μακαριον νομιζων, ὡς ἡ κοινη του Θεου ὑπογραφη, μηθεν της αφθαρσιας αλλοτριον.... αυτῳ προσαπτε. *Primum Deum esse Animal incorruptibile, ac beatum putans, sicut de Deo communis dictat intelligentia, nihil illi ab incorruptione alienum....adplica.* Laërt. L. X. segm. 123. In *Ratis* vero *Sententiis* Deos non modo Ζωα, *Animalia*, sed etiam αποτετελεσμενους ανθρωποειδως, *perfectos humana specie*, adpellat. segm. 139. Quare eis tribuit carnem, sed minime corruptibilem; siquidem, ut inquit Velleius apud Tullium, *nec Dei species corpus est, sed quasi corpus; nec habet sanguinem, sed quasi sanguinem. De Nat. Deor.* L. I. n. 18. Haec omnino in suo *De Diis* libro exposuisse Epicurum nullus dubito; alibi enim rem obiter tangit: idcirco Philodemus de eo mentionem huc iniecit.

Lin. 9. επαναχτους) Novam vocem pluribus litterulis, et αναλογιᾳ ducti Lexicis inserimus. Si enim in glossariis απο του απαγειν exhibetur απακτος, et απο του συνισαγειν, συνισακτος, et alia huiusmodi; quid vetat ab επαναγειν, fieri επαναχτους. Stoicos autem in sua sententia constantes ad Epicureorum de *quasi corpore*, et *quasi sanguine* figmenta nullatenus *revocari*, et devenire, recte adfirmat Philodemus. Id enim probat Cotta, qui modo citatis Velleii verbis ita respondet: *hoc persaepe* (Epicurei) *facitis, ut quum aliquid non verisimile dicatis, et effugere reprehensionem velitis, afferatis aliquid, quod ne fieri quidem possit: ut satius fuerit idipsum, de quo ambigebatur, concedere, quam tam impudenter resistere....Mirabile videtur, quod non rideat haruspex, cum haruspicem viderit: hoc mirabilius, quod vos inter vos risum tenere possitis. Non est corpus, sed quasi corpus: hoc intelligerem, quale esset, si id in cereis fingeretur, aut fictilibus figuris. In Deo quid sit quasi corpus, aut quasi sanguis, intelligere non possum. Ne tu quidem Vellei, sed non vis fateri....Nunc istud, quasi corpus, et quasi sanguinem quid intelligis? Ego enim scire te ista melius, quam me, non fateor solum, sed etiam facile patior. Quum quidem semel dicta sunt; quid est quod Velleius intelligere possit, Cotta non possit? Itaque corpus quid sit, sanguis quid sit, intelligo; quasi corpus, et quasi sanguis quid sit, nullo prorsus modo intelligo. Nec tu me celas, ut Pythagoras alienos....Dicemus ergo idem, quod in Venere Coa. Corpus illud non est, sed simile corpori; nec ille fusus, et candore mixtus rubor sanguis est, sed quaedam sanguinis similitudo. Sic in Epicureo Deo non res, sed similitudines*

rerum esse. Fac id, quod ne intelligi quidem potest, mihi esse persuasum: cedo mihi istorum adumbratorum Deorum lineamenta, atque formas. Cic. *De Nat. Deor.* I. n. 25, 26, 27.

Lin. 9. et seq. αντιφανων.). Raro quidem occurrit haec vox, sed elementorum vestigia, et sensus non aliam requirunt. Est autem αντιφανεια *id, quod evidentiae physicae opponitur.* Heliod. Lariss. Vide Balfor. ad Cleom. 266. Kall. MSS. Ea porro erat inter Epicureos, et Stoicos praecipua controversia, quod hi quidem a *ratione* potissimum evidentiam desumerent, illi autem tantum a *sensibus*, et *phantasia*. Quapropter Stoici τῳ λογῳ potius, quam Φαινομενοις, Epicurei vero ταις αισθησεσιν, et Φαινομενοις sua δογματα referebant accepta: λεγει ὁ Επικουρος κριτηρια της αληθειας ειναι τας αισθησεις. Unde facile fluebat et illud: και περι των αδηλων απο των Φαινομενων χρη σημειουσθαι. *Epicurus dicit veritatis criteria esse sensus... atque ex iis, quae sensibus adparent, significationem esse desumendam eorum, quae minime adparent.* Laërt. L. X. segm. 31. 32. Empiricus hanc Epicuri doctrinam fusius explicans inquit: πασαν φαντασιαν απο ὑπαρχοντος ειναι, και τοιαυτην, ὁποιον εςι το κινουν την αισθησιν· πλανασθαι δε τους τινας μεν των φαντασιων λεγοντας αληθεις, τινας δε ψευδεις, παρα το μη δυνασθαι χωριζειν δοξαν απο εναργειας. *Omnem phantasiam proficisci a re vere exsistente, et talem esse, quale est id quod movet sensum: errare autem eos, qui dicunt aliqua quidem ex visis phantasias esse vera, aliqua vero falsa, propterea quod non possint separare opinionem ab evidentia.* Lib. II. *Advers. Logic.* sect. 63. Consule etiam, si libet, sect. 9, et 185, tum Lib. I. sect. 203. tum Plutarch. *De Placitis Philosophor.* Lib. IV. cap. 9. et Lucretium Lib. IV. v. 480. et seqq. At vero Stoici, tantum in sensibilibus rebus, sensus veritatis ministros recte adpellant: in caeteris autem rationem ducem sequendam probant, uti discimus a Laërtio: των φαντασιων αἱ μεν εισιν αισθητικαι, αἱ δ' ου· αισθητικαι μεν, αἱ δι' αισθητηριου, η αισθητηριων λαμβανομεναι· ουκ αισθητικαι δε, αἱ δια της διανοιας, καθαπερ των ασωματων, και των αλλων των λογῳ λαμβανομενων. *Enimvero visionum iuxta illos aliae sensibiles sunt, aliae non: sensibiles quidem, quae per sensus instrumentum, sive sensuum instrumenta accipiuntur; non sensibiles vero, quae per rationem accipiuntur, uti sunt ideae rerum incorporearum, et aliarum ratione percipiendarum.* L. VII. segm. 51. Hoc sequutus dogma Torquatus ille, quem Tullius, Stoicorum veluti patronum, loquentem inducit, *si omnes sensus*, inquit, *erunt veri, ut Epicuri ratio docet, tum denique poterit aliquid cognosci et percipi. Quos qui tollunt, et nihil posse percipi dicunt, ii remotis sensibus, ne idipsum quidem expedire possunt, quod disserunt. Praeterea sublata cognitione, et scientia, tollitur omnis ratio et vitae degendae, et rerum gerendarum. De fin.* Lib. I. n. 64. At vero Philodemus, qui Epicureorum partes tuetur, in *phantasia*, seu in *adparentias perceptione* totam reponit πιστιν, και βεβαιοτητα, και κρισιν αληθειας, *fidem, firmitatem, et iudicium veritatis*, ut sit Plutarchus *Adversus Coloten* pag. 1123. T. II. Opp. *Francof.* 1599. Non aliam itaque ob caussam ipse Stoicorum placitum το των αντιφανειων δογμα nuncupat, *et nequaquam esse bonum* adfirmat; quia Stoici res sensibus *non adparentes*, immo *contrarias* admittebant; cuiusmodi est Deus, et anima humana, quibus hi corpoream et sensibus subiectam formam rectissime negabant.

Lin. 10. et seq. των απροαιρετων. Si απροαιρεσια vertitur *temeritas*, quid prohibet τα απροαιρετα verti *temeraria*, seu *non consideratas propositiones*, utut parum faveant exempla haetenus a Lexicographis collecta? Respicit fortasse Philodemus ad Paradoxa, quibus Stoici plus aequo delectabantur: quaeque Tullius testatur *magnifice primo dici, considerata minus probari. De Fin.* L. IV. C. 19. §. 55. Eadem *inopinata omnibus* adpellat Seneca Epist. LXXXI, et alibi *quae ne optari quidem, nedum credi possunt. De Constant. Sap.* c. III. Immo ipsi Stoici suarum sententiarum *temeritatem* agnoscebant: μετ' ευκολιας δεχομενοι την ατοπιαν, *sponte et ultro confessi absurditatem:* caeteri autem eas εις την των ωλων, και ψυχρων αγοραν, *in evanidarum, et frigidarum propositionum eloacem* amandabant, ait Plutarchus T. II. p. 1080. Is etiam in Libro Περι Στωϊκων Εναντιωματων, et in altero Περι των Κοινων Εννοιων προς τους Στωϊκους totus in hoc est, ut Stoicorum absurda colligat, et contemnenda demonstret. Non immerito igitur huiusmodi placita nuncupat Philodemus τα απροαιρετα.



G. B. Casanova dis — *D. Casanova inc.*

FRAGMENTORUM

TABULA IV.

Num. 7.

Ου μονον γαρ φησι τον Θεον ειναι τελειον, και αϊδιον, και νοερον ζωον· αλλα και εχειν εξ αναγωγης χρειας, ώσπερ αισθησιν, συγγενεις. Ὁ δε θανατος των ζωων, και τα των τοιουτων, και παλιν ενια των ... ουσων ευδαιμονιαν κατα Στωικους, και αλγηδονος ὑπομονη μαχεται, καθαπερ και τα παρα φυσιν. Αλλα το δυσκολον, ου παντας

CAP. IV. Notantur quaedam Stoicorum repugnantiae de Diis.

Non modo enim dicit Deum esse animal perfectum, atqne aeternum, et intelligens; sed etiam habere ex inductione necessitates animalibus consentaneas, uti sensionem. Mors autem, quae ad animalia pertinet, et alia huiusmodi, et rursus quaedam, quae secundum Stoicos auferunt felicitatem, et doloris tolerantia repugnant, quemadmodum et quae sunt contra naturam. At illud intellectu difficile est, non omnes

8.

αυτους φιλους αλληλων ποιεισθαι, καθ' όσον τας απ' αλληλων κομιζονται χρειας, άς ει μη απελαμβανον, ουκ αν ησαν τελειοι κατ' ευδαιμονιαν. Εξεστι δε λεγειν καὶ μηδε κατα τουτ' εμποδιζεσθαι προς την της φιλιας εν αυτοις αποληψιν. Ουδε γαρ οἱ αιωνες προφερομενοι την νεανιαν τελειαν, εις ευδαιμονιαν παρασκευαζουσιν . . . .

ipsos *Deos* mutuo amicos fieri, quatenus alter ab altero utilitates adsequitur; quas nisi adciperent, non utique essent in felicitate perfecti. Dicere autem fas est, ne in hoc quidem eos esse impediendos ab amicitia inter se ineunda. Neque enim saecula, quae proferuntur, iuventutem perfectam, et felicitatem eis comparant.............

Lin. 1. et seq. Ου μονον κ. τ. λ.). Hariolando haec praeposuimus, et caetera hiatibus implendis iniecimus, non modo sensum, et verborum λειψανα observantes, sed Zenonis etiam δογματα presso pede persequuti. Is enim statuit, Θεον ειναι ζωον αθανατον,... τελειον, νοερον, *Deum esse animal immortale,...perfectum, intelligens.* Laërt. L. VII. segm. 147. Eadem ex Zenonis doctrina elicuit Balbus apud Ciceronem: *sed quum talem esse Deum certa notione animi praesentiamus, primum ut sit animans, deinde ut in omni natura nihil eo sit praestantius. De Natura Deor.* Lib. II. n. 17. Antipater, et ipse Stoicus, idem docet apud Plutarchum *De Stoic. Rep.* T. II. p. 1051.

Lin. 3. ὥσπερ αισθησιν κ. λ.). Sensionem Deo tribuebant Stoici, quem et ipsum Mundum esse rebantur: *Ita efficitur*, ait Balbus apud Tullium, *animantem sensus, mentis, rationis Mundum esse compotem: qua ratione Deum esse Mundum concluditur. De Nat. Deor.* Lib. II. n. 17 fine. Porro χρειας ὁμογενεις, quas heic instauravimus, fortasse Philodemus retulit ad nutritionem, caeterasque operationes, quae nobis, et brutis communes snnt. Ac de nutritione quidem Stoicorum sententia fuit Deos alimento egere. Ait enim Chrysippus: τροφῃ οἱ Θεοι χρωνται, παραπλησιως συνεχομενοι δι' αυτην...τον Δια φησιν αυξεσθαι, τρεφεσθαι... και τον κοσμον λεγων τρεφεσθαι. *Alimento Dii utuntur, quum aequaliter ab ipso sustententur ... et Iovem dicit crescere, ali ... etiam Mundum adserens nutriri.* Plutarch. *De Stoic. Repugn.* T. II. p. 1052. Si enim Deus animal est; uti animal agat, et patiatur, oportet. Hoc vero consequens Philodemo non probatur, qui Epicuri doctrina institutus, Deum animal quidem esse, sed omnibus caeterorum animalium incommodis liberum arbitrabatur. Vide Laërtium Lib. X. segm. 123.

Lin. 4. Ὁ δε θανατος κ. λ.). Quorsum respiciat Philodemus, animadverte. Χρυσιππος ... ουδενα οιεται πλην του πυρος, αφθαρτον ειναι των Θεων, αλλα παντας ὁμαλως και γεγονοτας, και φθαρησομενους, *Chrysippus... nullum Deorum censet, excepto igni, esse immortalem; sed omnes pariter et natos, et interituros* Plut. *De Stoic. Rep.* T. II. p. 1051. Μεριζουσι δε οἱ Στωϊκοι την μιαν Θεοτητα εις πολλας μερικας ουσιας, εις Ἡλιον, και Σεληνην, και Αστρα, εις Ψυχην, και Αερα, και τα αλλα. *Dividunt autem Stoici unam Divinitatem in multas particulares substantias, in Solem, et Lunam, et Stellas, in Animam, et Aërem, et alia:* quae omnia interitura, uti nuper innuimus, dictitabant. Ita S. Epiphan. *Advers. Haereses* Haer. V.

Lin. 5. et seq. ενα των αφελομενων, κ. λ.). In quanam re felicitatem agnoverint, et a quibusnam ipsam auferri censuerint Stoici, satis notum est. Nimirum *Virtutem* statuebant maximum instrumentum beatae vitae esse, inquit Seneca Epist. LXXIV. Qui et alibi scribit: *Summum bonum est, quod honestum est; et quod magis admirere, Solum Bonum est, quod honestum est.* Epist. LXX. Vide eius Librum *De Vita Beata.* Praecipue Zeno hominis finem censebat, secundum virtntem vivere: Ζηνων ὁ Στωϊκος τελος ἡγειται, το κατ' αρετην ζην. Clemens Alex. *Stromat.* L. II. cap. 21. pag. 496. *Oxon.* 1715. Eodem prorsus recidit effatum, quod uti hominis finem a Zenone traditum narrant Laërt. L. VII. segm. 87. et Stobaeus in Eclog. το ὁμολογουμενως ζην, *convenienter vivere:* ita nt quae *virtuti*, et *convenientiae* adversantur, beatitndinem auferant, et perturbationem, infelicitatis causam, in animum inducant. Haec antem incommoda Diis adesse, tum fabulae, tum ipsa Stoicorum dogmata suadebant, praesertim quod fato subiicerentur, nec suo libitu orbem regere, et sua omnia administrare possent. Philodemum itaque huiusmodi absurda heic recensentem non temere legisse videbimur.

Lin. 6. et seq. αλγηδονος.). Restituimus hoc verbum, quod animadvertimus saepe ab Epicuro adhiberi, et inde totam felicitatis eversionem repeti. Vide eius *Epistolam ad Menoeceum*, et *Ratas Sententias* apud Laërtinm Lib. X. segm. 129. 149. et alibi.

Lin. 8. et seqq. Αλλα το δυσκολον κ. λ.). Quae sequuntur, partim adhuc in αυτογραφῳ conspicua, partim refecta, non improbabit, quisquis in memoriam tantisper revocaverit Deorum rixas, iurgia, discordias, et praelia a poëtis, et praesertim ab eorum Patre in bello Troiano enarrata. At vero in id Zeno, eiusque adseclae enixius incumbebant, ut arcanos fabularum sensus explanarent; ac subinde rationes adferrent, quibus non omnes Dii Deaeque inter se iura amicitiae sarcta tecta servarent. Audiatur Balbus: *Magnam suscepit molestiam, ac minime necessariam Zeno primus, post Cleanthes, deinde Chrysippus, commentitiarum fabularum reddere rationem, et vocabulorum, cur quidque ita adpellatum sit, causas explicare.* Cic. *De Nat. Deor.* Lib. III. n. 24. En igitur, quo referendum est το δυσκολον, sive illud vertas *difficile*, sive Balbum sequens intelligas *molestum. Difficile* enim, et *molestum* est, uti Noster advertit, explicare, cur non omnes Dii amicitiae vinculo socientur, nec mutua amicitiae auxilia experiantur; quum ad perfectam sibi beatitatem comparandam ea negligere non debeant.

Lin. 12. et seqq. Εξεστι δε, κ. λ.). Quod amicitia colenda sit a Diis, probat Philodemus ab ipsa Stoicorum, qui *saecula* nuper memorata iis adtribuebant, doctrina: siquidem *saecula* neque perpetuae vigorem inventutis, neque felicitatem ita comparare poterant, ut amicitiae subsidiis minime indigerent, aut ad ipsam ineundam impedirentur. Caeterum amicitiae commoda numquam esse contemnenda tradiderat Epicurus, qui et suo id exemplo probaverat. Laërt. L..X. segm. 10. Illud praecipue discipulos edocuit: μονον χαριν ἑξειν τον σοφον φιλοις και παρουσι, και απουσιν ὁμοιως, *gratiam amicis praesentibus aeque ac absentibus habiturum sapientem solum.* Ibid. segm. 118. και ὑπερ φιλου ποτε τεθνηξεσθαι, *et pro amico aliquando moriturum.* segm. 121.



G. B. Casanova dis. — Ferd.o Ventrella inc.

FRAGMENTORUM

TABULA V.

Num. 9.

. . . . [illegible] ξων ουδεν χρειωδων, ἡ συμφυλια [illegible] συνανα-στροφην ἀπ[illegible]τα παθη παρ[illegible]δωσιν. Ου γαρ δυνατον, εχειν την συμφυλιαν ανευ [illegible] πασης επιμειξιας οντας. Αμελει δε και ε[illegible] φ' ἡμων των ασθενων, και προσδ[illegible]νων πρ[illegible] [illegible] ηδη της φιλιας· ουκ ετι [illegible], [illegible], ὡς οἱ [illegible], οὑτως [illegible]

. . . . . reiectis vanis opinionibus neqnaquam utilibus, cognatio ad quotidianam consuetudinem omnes adfectiones inclinat. Neque enim fieri potest, ut *Dii*, quum cognationem habeant, omnigena communione careant. Quoniam vero etiam id ita se habet in nobis, qui infirmi sumus, et amicitiae utique actu indigemus; nonne erit etiam in Diis, quibus non convenit, uti Mortales *passim agunt*,

CAP. V.

Quo sensu Dii omnigena bonorum communione gaudeant.

10.

τα[illegible]ειν τα παρα [illegible] [illegible]ηστως, μη παραδιαζεσθαι, και χαριζεσθαι; Τοιγαρουν αλληλοις τους Θεους την μεν, ὡς ενλειπουσι, μεταδοσιν τινων οικειων ποιουμενους ου ῥητεον· ἁπαντες γα[illegible] [illegible] αυταρκως ἑαυτοις παρασκευαστικοι της τελειοτατης ἡδο[illegible]ης [illegible] αλλ' εικ[illegible] δια [illegible]λου ἀπ[illegible] ὁμοιωσεως τη [illegible]αλ[illegible]

disponere res ad aliquid sibi necessarium inexplebili anxietate, non impartiri, non gratificari? Quamobrem dicendum quidem non est Deos quaedam sibi propria cum aliis, quasi eorum inopia laborantibus mutuo communicare; omnes enim etiam sibi sufficiunt, ut absolutissimam voluptatem nanciscantur omnino: sed verisimile est eos per communem mutuamque bonorum suorum largitionem pulchra prorsus devinciri amicitia.

Lin. 1. εκβαλομενων κ. λ.). Magistri sui loquutione usum fuisse Philodemum antumamus. Is enim in Κυριαις Δοξαις inquit: τη ματαια δοξη....το κριτηριον ἁπαν εκβαλεις, *opinione inani.... omne iudicandi instrumentum reiicies.* Laërt. L. X. segm. 147. Porro *opiniones inanes* esse *nequaquam utiles* iure adserit Noster, quia eius Magister εκ των κενων δοξων, *ex inanibus opinionibus*, infelicitatis originem deducendam sanxerat. Laërt. *ibid.* segm. 144.

Lin. 2. et seqq. ἡ συμφυλια κ. λ.). Semel atque iterum habes hanc vocem in eadem pagella; eamque reperies in Epicuri Epistola ad Pythoclem, uti legimus Laërt. L. X. segm. 115. ατομων..... συμφυλιας γενομενης εις το τουτο τελεσαι, ubi perperam Gassendus, et Meibomius legerunt συμφιλιας, verteruntque alter *atomorum.....ad id praestandum conspirantium*, alter vero *atomorum.....consensu incidente, ut hoc fiat.* Perperam, inquam; siquidem φιλια inter atomos fingi non poterat. Haud temere itaque Schneiders *Griechisch-Deutsches Wört. 88.* Meibomianam lectionem emendandam esse suspicatus est: sed suspicionem suam mirifice comprobasset, si nuperam Philodemi dictionem prae oculis habuisset. Συμφυλια igitur opponitur τη αλλοφυλια, quae pariter apud Epicurum legitur Laërt. L. X. segm. 106. ubi etiam habes τα ὁμοφυλα, et τα αλλοφυλα, segm. 154. Haec autem omnia non ad *amicitiam*, vel *inimicitiam* referuntur; sed ad res inanimas, quae materiam habent aut cognatam eiusdemque generis, aut alienam generisque diversi. Non absimili plane sensu habes το συμφυλον apud Plutarchum.

Lin. 6. et seq. προσδεομενων πραξεως ηδη της φιλιας.). Talem lectionem haud respuet, qui meminerit Epicurum sanxisse την φιλιαν δια της χρειας, *amicitiam usus gratia conciliari.* Laërt. Lib. X. segm. 120. Ipse enim sapienti indixit amicum sibi comparandum, *ut habeat, qui sibi aegro adsideat, succurrat in vincula coniecto, et inopi.* Senec. Epist. IX. Immo adfirmare solebat, teste Torquato, *omnium rerum, quas ad beate vivendum Sapientia comparavit, nihil esse maius amicitia, nihil uberius, nihil iucundius.* Cic. *De Fin.* Lib. I. n. 20.

Lin. 8. et seqq. οἱς ανοικειον κ. λ.). Non sine gravi rationis momento lacunam hisce verbis oppletam per nos fuisse, probat opportuna Epicuri sententia. Ait enim: μηθεν μητε της αφθαρσιας αλλοτριον, μητε της μακαριοτητος ανοικειον αυτω προσαπτε· *nihil illi (Deo) aut ab immortalitate alienum, aut beatitudini minus congruum adplica.* Laërt. Lib. X. segm. 123. Non congruum autem id Diis esse Philodemus putat, quod mortales patiuntur, ut scilicet amicitiam suae indigentiae sublevandae causa colant. Iam porro quo referantur illa, quae subsequuntur, επιταττειν τα παρα τι απληστως, adcipe, lector. Hominum cupiditates, quae ad dolorem expellendum non tendunt, inexplebiles esse, animumque torquere docuit Epicurus. Eius enim est illa sententia: Ὁ της φυσεως πλουτος και ὡρισται, και ευποριστος εστιν· ὁ δε των κενων δοξων εις απειρον εκπιπτει. Laërt. Lib. X. segm. 144. Quod ita vertit Torquatus: *Natura divitias, quibus contenta sit, et parabiles, et terminatas habet: inanium autem cupiditatum nec modus ullus, nec finis inveniri potest.* Cicero *De Finib.* Lib. I. n. 14. Hanc doctrinam ipse Epicurus confirmat, ubi επιθυμιας distinguit, easque taxat quae δυσποριστοι, *paratu difficiles*, sunt, et σπουδην συντονον, *studium vehemens*, nobis ingerunt. Laërt. L. X. segm. 149. Fuse et pluries id explicat Lucretius, cuius nonnulla adferre satis erit:

Deinde animi ingratam naturam pascere semper,
Atque explere bonis rebus, satiareque nunquam;
Quod faciunt nobis annorum tempora, circum
Quum redeunt, foetusque ferunt variosque lepores,
Nec tamen explemur vitai fructibus unquam.

Lib. III. v. 1015 et seqq.


Divitiis homines et honore et laude potenteis
Affluere, atque bona natorum excellere fama;
Nec minus esse domi quidquam tamen anxia corda,
Atque animum infestis cogit servire querelis.
. . . .
Veridicis igitur (Epicurus) *purgavit pectora dictis,*
Et finem statuit cuppedinis, atque timoris.

Lib. VI. v. 12 et seqq.

Lin. 9. et seqq. παραδιαζεσθαι κ. λ.). Sive ita legas, sive emendes παραδαζεσθαι, neutrum verbum in Lexicis reperies. Nobis emendatio placet, quia ex simplici διαζεσθαι opportunum deducere sensum non licet. Hoc enim, teste Polluce, nihil aliud sonat, quam στησαι τον στημονα, *ordiri telam.* Plura ab eo composita eodem recidunt. Verumtamen το διασμα ab Etymologico M. exponitur ἡ πρωτη του ιματιου εργασια, et deducitur non απο του διαζεσθαι, sed απο του δαζεσθαι πλεονασμω του ι. Quare ad originariam vocem redeuntes, unde το διαζεσθαι repetunt Lexicographi, interpretati sumus *impartiri*, ut apud Xenophontem. καν τι μειον ἡμιν δασωνται, κερδος ἡγησασθαι, *quamvis quidpiam minus nobis impartiantur, lucrum putare. Cyrop.* Lib. IV. c. 2. Enimvero istiusmodi significatio cum subsequenti verbo χαριζεσθαι perbelle congruit; cui particulam negativam non praeposuit Auctor, ut repetitionem ipso sensu perspicuam vitaret; qua ελλειψει Attici Scriptores passim utuntur. Denique quum emendationis, tum interpretationis nostrae vadem damus Ciceronem, quo teste Epicurus Deum fingebat *nihil cuiquam tribuentem, nihil gratificantem. De Nat. Deor.* Lib. I. n. 123.

ADNOTATIONES.

Lin. 15. et seqq. Α'παντες γαρ, κ. λ.). Consonant haec cum Epicuri doctrina, qui ita de Deorum felicitate disseruit, ut ipsis tribuerit, *secretis malis omnibus, cumulatam bonorum possessionem.* Cic. *Tuscul.* L. V. seu, ut aliis verbis idem dicamus, *cumulatum aliquem plurimis et maximis voluptatibus, nullo nec praesenti, nec futuro dolore. De Fin.* L. II. n. 63. Audi Laërtium: Την ευδαιμονιαν διχη νοεισθαι, την τε ακροτατην, οία εςι περι τον Θεον, επιτασιν ουκ εχουσαν· και την ανθρωπινην, εχουσαν προσθηκην και αφαιρεσιν ήδονων. *Felicitatem bifariam intelligi (tradit Epicurus): supremam illam, quae in Deo est, quae incrementum non admittat; et humanam, quae et adiectionem habeat, et ablationem voluptatum.* Lib. X. segm. 121. Ipse enim in Epistola ad Menoeceum αυταρκειαν, αγαθον μεγα, *suis contentum esse, magnum bonum* adpellat. Laërt. Lib. X. segm. 30. Iam vero quod in ipsa hac beatitate Dii amicitia delectentur, satis indicat Torquatus, loco mox citando, ubi eam requirit *ad beate vivendum: nam sine amico visceratio, leonis ac lupi vita est*, ut Epicurus ait apud Senecam, *De Tranquillit. Anim.* Cap. VII. Consonat Aristoteles, dum problema illud proponit, *an beatus amicis indigeat*; et falli probat eum, qui hoc negaverit. *Ethicor.* Lib. IX. cap. 9.



Gio. Batt. Casanova del. Dom. Casanova inc.

FRAGMENTORUM

TABULA VI.

Num. 11.

ου χρη τον Θεον εχειν επιθυμιας ταυτας· διοτι ὁ εχων προς τα εκ των πραγματων επι[illegible]ς, ουχ αφειτως απολαυει παρα παντα της ευκαιριας, και πληθους, και ποιοτητος· ὁ μη των ευστοχαστων ην. Ει γαρ αν και κατεστεφανωτο, ην πως αναστεφομενος, αλλ' επι παντοιας χρειας ελαυνει κατα την διασταθμησιν,

non oportet Deum habere hasce cupiditates: quoniam qui erga res a negotiis obvenientes habet cupiditates, non absolute per omnia fruitur otio, et copia, et qualitate bonorum: quod facile conici posset. Etsi enim coronam referret, esset *quidem* aliquando coronatus, sed in omnigenas necessitates progreditur pro rerum dispositione,

CAP. VI. Deus non habet cupiditates, quae habentem torquent.

12.

και κατα ὑποφοραν, και αναστροφην ὁμοιαζομενην· εαν ὁμοιον ειπειν, ὡν προσαγομενων οικειουται τε, και διατηρειται τον χαιρον, εν ὡ πονει μεν ουδεν ουδ' επ' ελαχιστον, παρεστηκεν δε προς την απολαυσιν παραλαυτω· καν επι πολυ μεινη δι' αληθη ευποριαν, παραπλουσιος νομισειται . . . .

et pro laborum tolerantia, et pro reversione ad statum praecedenti similem; si tamen similis dici posset status is, in quo aliquibus comparatis sibi vindicet, et servet tempus, quo nihil, ne minimum quidem, laboret, et eo pervenerit, ut ipse apud se bonis fruatur; et si quando diu maneat in vera rerum abundantia, ditissimum se existimabit . . . .

ADNOTATIONES.

Lin. 1. ου χρη κ. λ.). Connexas censebant Epicurei *τας επιθυμιας* eum *τη προνοια*, *cupiditates* scilicet cum *providentia;* quis in hominibus id passim animadvertitur: ac propterea ut ab illis Deum liberarent, hanc quoque ei negabant. Impiam, absurdam, atque a communi hominum sensu reprobatam sententiam his verbis expressit Epicurus: *Το μακαριον, και αφθαρτον ουτε αυτο πραγματα εχει, ουτε αλλω παρεχει.* Merito ab hac Ratarum Epicuri Sententiarum collectionem incipit Laertius: fuit enim illarum prima, ut discimus ex Cicerone Lib. I. *de Natura Deorum* n. 30. *Itaque in illis selectis eius, brevibusque Sententiis, quas appellat is* Κυριας Δοξας, *haec, ut opinor, prior Sententia est, quod beatum et immortale est, id nec habet, nec exhibet cuiquam negotium.* Id Tullius etiam testatur in libris *De Legibus:* item Plutarchus in libro *adversus Coloten.* Huius autem sententiae meminit Seneca in *Ludo de morte Claudii Caesaris: Modo dic nobis, qualem Deum istum fieri velis?* Επικουρειος Θεος non potest esse: *ουτε αυτος πραγμα εχει, ουτε αλλοις παρεχει.* Pariter Sextus Empiricus *Hypotypos.* L. III. segm. 24. *Το μακαριον, και αφθαρτον μητε αυτο πραγματα εχει, μητε ἑτεροις παρεχει.* Adde Maximum Tyrium Dissert. XXIX. *το αθανατον ουτε αυτο πραγματα εχει, ουτε αλλω παρεχει.* Nemesius denique *De Natura Hominis* cap. 44. *Δημοκριτος δε, και Ἡρακλειτος, και Επικουρος, ουτε των καθολου, ουτε των καθ' ἑκαστα προνοιαν ειναι βουλονται. Επικουρος γουν ελεγε, το μακαριον, και αφθαρτον ουτε αυτο πραγματα εχει, ουτε αλλω παρεχει. ὡστε ουτε οργαις, ουτε χαρισι συνεχεται· εν ασθενεια γαρ παντα τα τοιαυτα· οργη Θεων αλλοτριον, επι γαρ αβουλητω γινεται· Θεου δε ουδεν αβουλητον.* Meminit et Lactantius *De Ira Dei* cap. 4. Quum igitur tam prava doctrina imbutus esset Philodemus, haud temere suspicamur ad eam membrum hoc periodi esse referendum, contextu utique non aliam flagitante.

Lin. 2. et seqq. διοτι ὁ εχων κ. λ.). Totum hunc locum clara perfundent luce Epicuri δογματα, quae exscribenda censemus: Επιθυμιας ..... *φυσικας και ουκ αναγκαιας, τας ποικιλλουσας μονον την ἡδονην, μη υπεξαιρουμενας δε το αλγημα· ὡς πολυτελη σιτια· ουτε δε φυσικας, ουτε αναγκαιας· ὡς στεφανους, και ανδριαντων αναθεσεις. Cupiditates ...... naturales et non necessarias (existimat Epicurus) eas, quae voluptates solum variant, non autem dolorem tollunt; ut sunt pretiosi cibi: neque naturales autem neque necessarias, ut coronas, et statuarum erectiones.* Diog. Laërt. Lib. X. segm. 149. Huiusmodi voluptatum divisionem Tullius *non nimis forte subtiliter, utiliter tamen* factam fatetur. *Quaest. Tuscul.* L. V. n. 33. De ipsa vero ita Torquatus loquitur: *quae est enim aut utilior, aut ad bene vivendum aptior partitio, quam illa, qua usus est Epicurus?* etc. Cic. *De Fin.* L. I. n. 13. Sed alibi eamdem improbatam invenimus, scilicet ibid. L. II. Eius meminerunt Athen. *Dipnos.* Lib. III. n. 1. Eustratius *ad Nicomach.* L. III. c. 2. Nemesius *De Nat. Hom.* C. XVIII. Putat itaque Philodemus eum, qui coronam adpetiisset, tametsi ea aliquando potiretur, multis tamen laboribus, et molestiis pressum esse. Huiusmodi sententiam habes etiam in Plutarcho: *το δε μητε αναγκαιων (επιθυμιων), μητε φυσικων, αλλ' εξωθεν ὑπο δοξης κενης δι' απειροκαλιαν επικεχυμενων γενος, ὑμων μεν ολιγου δειν τας φυσικας αποκρυψειν ὑπο πληθους ἁπασας. Sed eae appetitiones, quae neque a natura, neque a necessitate oriuntur, ob imperitiam autem recti foris ex inani quadam opinione intro superfusae sunt; parum abest, quin sua multitudine vestras naturales cupiditates obruerint universas. Gryll.* p. 9. et seq. *Paris* 1624.


Lin. 3. Αφετως). Huius adverbii, cuius vix unum ex MSS. hactenus adferebatur exemplum, adde et hoc alterum in *αυτογραφω* conspicuum.

Lin. 4. *της ευκαιριας, και πληθους*). Si *ευκαιριαν* interpretaberis *opportunitatem*, aut *copiam*, uti passim in Lexicis est; frigidam dictionem, ac *ταυτολογιαν* non vitabis. Placuit idcirco vertere *otium*, uti multis placet, ac temere a Thoma Magistro improbatur his verbis: Σχολη-ην οἱ πολλοι ακυρως καλουσιν ευκαιριαν, p. 829.

Lin. 8. *και κατα ὑποφοραν κ. λ.*). Quae verba heic restituta cernis, lector, satis idonea videntur exponendis Epicuri documentis, quorum *επιτομην* in eius Epistola ad Menoeceum legimus segm. 127-132. Fusius huiuscemodi placita explanavit Galenus in duobus Libris, quorum titulus, Περι *του κατ' Επικουρον ευδαιμονος, και μακαριου βιου.*

Lin. 9. *εαν ὁμοιον ειπειν*). Excidit fortasse, amanuensis culpa, verbum finitum, videlicet *εξη*, *δυνηται*, aut quidpiam simile. Verius tamen dixerim ex industria illud omissum ab ipso Philodemo; siquidem huiusmodi *ελλειψεως* apud veteres Scriptores non rara occurrunt exempla. Vide Bos *Ellips.* p. 596. *Lipsiae* 1808.

Lin. 14. *παραπλουσιος*). Nihil prohibet, *αναλογια*, sermonis contextu, spatio, et residuis elementis adprime suadentibus novum huc verbum iniicere. Erit itaque *παραπλουσιος* idem ac *πλουσιωτατος*, eritque Philodemi sententia Praeceptoris sui institutis consentanea. Legimus enim apud Clementem Alexandrinum: *Επικουρος αντικρυς φησι· πλουσιωτατον αυταρκεια παντων, Epicurus contra: frugalitas est omnium ditissima. Paedagog.* L. III. c. 8. Ipse quoque illud Menoeceo affirmabat: *την αυταρκειαν αγαθον μεγα νομιζομεν, frugalitatem magnum bonum existimamus.* Laërt. L. X. segm. 130. Quod et exemplo suo comprobasse tradit Iuvenalis *Satyr.* XIII. v. 122. et seq. et *Satyr.* XIV. v. 319. et seqq.



Gio. Batt. Casanova dis. *Dom. Casanova inc.*

FRAGMENTORUM

TABULA VII.

Num. 13.

κα... τι τω ελαχι... ...τω δυσκολον αι...ϑαι ...η δια τι τουτων. Επει δε ... ποικιλου τροπου δεδειγμενου βλεπεται, και των ελικωτερων αρετων ... περι Θεον εξ αἰδιου συστασις· ὑπερ της ... δικης μονον τιθεντες απειλην ...ους, ουδε τ...υτην συνηθειαν ...ως ὑπαρχειν· επι τ... λογ... αποφευ... . . . .

etiam in minimo homine molestum est ira efferri propter horum quidpiam. Quoniam vero cernitur morum varietatem et virtutum inconstantiam ostendere ea, quae ab aeterno est, Dei constitutio; si tantum ad ultionem statuimus eorum minas ex inveterata ira, neque eiusmodi *varietatis* consuetudinem similiter servari; a recta ratione aufugimus . . . . . .

CAP. VII. De ira Dei.

14.

Τ...το δε ... ὁμοιω... ...ποσεις. και τι της ακρας ...ωσεως σ... εχει· και τας αλλας μεντοι ...ιας απολαμβανουσι παρ' αλληλων, ει και δυνανται δι' αὑτων παρασκευαζεσ...ι. καθαπερ ἡμεις ενιοτε παρα των ταυτ' εχοντων. Και γα... ...φης, και των προς την αφ... και την ...ην, και τ... των ὁλω... ... προς τη... ...υσιν ἐξωθεν ... .

Hoc autem rerum similium conciliationem, et aliquid summae similitudinis continet. Alias itaque utilitates ab aliis invicem *Dii* adcipiunt, etsi possunt per se ipsi *eas* sibi comparare; quemadmodum nos interdum ab hominibus eadem habentibus adcipimus. Etenim tactus, et rerum ad tactum, contactumque pertinentium etiam ab universis, quae ad nostram naturam extrinsecus obveniunt, *plurima adcipimus, sine quibus etiam felices esse possumus.*

CAP. VIII. Quid mutuo secum communicent Dii.

Fragm. 13. Quorsum respiciat Philodemi sermo, cuius partem praesens exhibet fragmentum, satis luculenter a praecedentibus eruitur, et ab impiis Epicuri δογμασιν obfirmatur. Quum enim is Dei providentiam negasset, iustitiam quoque, et iniquorum punitionem respuit: ac propterea illud adfirmavit: το μακαριον ... ουτε οργαις, ουτε χαρισι συνεχεται· εν ασθενει γαρ παν το τοιουτον. *Quod beatum est ... neque ira, neque gratia tangitur; nam huiusmodi omnia infirmitatis sunt.* Laërt. L. X. segm. 139. Lucretius pariter Lib. I. v. 62.

Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

Adde Velleium Epicuri partes agentem: *neque ira, neque gratia (Deum) teneri: quod quae talia essent, imbecilla essent omnia.* Cic. *De Nat. Deor.* Lib. I. n. 45. *Non magis Deum beneficia, quam iniuriae tangunt:* ita dictantem Epicurum induxit Seneca. *De Benefic.* L. IV. c. 4. Nos ultro fatemur nulla Deum, ut pote qui immutabilis, et beatissimus est, ira commoveri posse, atque huiusmodi humanam perturbationem ei metaphorice tribui; sed non idcirco dubitamus, quin praemia, ac poenas pro meritorum diversitate distribuat. Lactantii Firmiani verba ad rem faciunt, atque heic exscribi merentur: *Quum putaret Epicurus alienum esse a Deo malefacere atque nocere, quod ex affectu iracundiae plerumque nascitur, ademit ei etiam beneficentiam, quoniam videbat consequens esse, ut si habeat iram Deus, habeat et gratiam. Ex hoc, inquit, beatus et incorruptus est, quia nihil curat, ... sed si nihil curat, nihil providet, amisit omnem Divinitatem. Qui ergo totam vim, totam Deo substantiam tollit, quid aliud dicit, nisi Deum omnino non esse? ... Vides igitur quo perveniat, ira sublata, et Deo adempta. Denique aut nullus id credit, aut admodum pauci, et quidem scelerati ac mali, qui sperant peccatis suis impunitatem. De Ira Dei* Cap. IV. Sed praestat etiam Tertullianum audire hac de re adversus Marcionem sic disputantem: *Si aliquem de Epicuri schola Deum adfectavit Christi nomine titulare, ut quod beatum et incorruptibile sit neque sibi, neque alii molestias praestet (hanc enim sententiam ruminans Marcion removit ab illo severitates et iudiciariae vires)...in totum immobilem et stupentem Deum concepisse debuerat ... Quale est enim, ut praecepta constituat non executurus? ut delicta prohibeat non vindicaturus? . . Utique non aliud prohibet admitti, nisi quod non amat fieri. Stupidissimus ergo, qui non offenditur facto, quod non amat fieri ... Aut si offenditur, debet irasci, si irascitur debet ulcisci ... Audite peccatores, quique nondum hoc estis, ut esse possitis: Deus melior inventus est, qui nec offenditur, nec irascitur, nec ulciscitur,* etc. L. I. c. 25, 26, 27.

Lin. 1. αιρεσθαι). Num ita legendum sit, an potius αγισθαι, vel ἀπτεσθαι, lacuna certo definire non sinit. Certe quidem sensus eodem recidit. At si magis placuerit αγειν εν οργῃ, ut Demosth. *Olynth.* I. dixit εν οργῃ ποιειν, non intercedimus. Δια τι τουτων, ad mortalium opera fortasse referendum est. Quod autem huiusmodi *iram* Diis numquam tribuerint Epicurei, satis eruitur ex illo Praeceptoris effato: *ira immodica gignit insaniam:* de quo consule, si libet, Gassendum. *De Moral. Philos. Epic.* T. II. p. 175. *Lugd.* 1675.

Lin. 2. et seq. ποικιλον τροπον κ. λ.). Quod Dii fuerint volubiles, et aliud ex alio modo amaverint, modo odio habuerint; quodque inter se persaepe de una eademque re non consenserint; ex poëtarum fabulis didicerat Philodemus: ac propterea varios eorum mores, opposita ingenia, inconstantes virtutes fuisse adserit. Sed inde ad veram Dei notionem labefactandam progredi non debuisset, neque ex hominum deliramentis deducere poterat, nullam ab eo poenam scelestis infligi. Caeterum ex fabularum absurditate absurdiorem Epicuri doctrinam fluxisse, recte autumat Gassendus. Syntagma philosophiae Epicuri Sect. I. c. 5. et Sect. II. c. 6. *De Vita et Moribus Epic.* L. IV. c. 4.

Lin. 6. et seq. συνηθειαν). Fortasse post θ diphthongum ει dormitans geminaverat librarius: nos posteriorem tantum in lectione servavimus.

Fragm. 14. Ubinam haec lacinia conlocanda sit, diu deliberavimus. Videbatur quidem propius adponenda disputationi de Deorum amicitia, quam nuper in Tabula V. Fragm. 9. et 10. legimus; quandoquidem eadem de re heic agit Philodemus. Sed quoniam ipsa, ab amicitia incipiens, inde progreditur ad Deorum αφην, και συναφην, *tactum, et contactum* investigandum, de quo protinus in sequenti Fragmento verba facit, ubi eorum *concubitum* commemorat; hoc potius loco, quam alibi, lectoribus sistenda fuit.


Lin. 9. Τουτο δε κ. λ.). Hariolationi similis videtur haec lectio, suis tamen rationibus non caret, consentanea est enim Epicuri placitis, quae adlegare praestat. Οἱ Θεοι .... ταις ιδιαις οικειουμενοι δια παντος αρεταις τους ὁμοιους αποδεχονται, παν το μη τοιουτον, ὡς αλλοτριον, νομιζοντες. *Dii .... propriis semper virtutibus delectati sibi similes amplectuntur, omne, quod huiusmodi non est, alienum existimantes.* Laërt. L. X. segm. 124. Θεους .... κατα ὁμοειδιαν, εκ της συνεχους επιρρυσεως των ὁμοιων ειδωλων επι το αυτο, αποτετελεσμενους ανθρωποειδεις. *Deos .... secundum speciei similitudinem, ex perpetuo similium imaginum ad idem adfluxu, perfectos humana specie.* Ibid. segm. 139. Quibus ex locis satis elicimus ex ὁμοιοτητος amorem Deorum pendere; eosque ὁμοειδια, atque ὁμοιοις ειδωλοις plurimum debere. Ad alterutram igitur sententiam praesens Philodemi locus referendus est. Si posteriorem potius indicatam censes, memento eam fuisse refutatam a Plutarcho *De Oracul. Defectu* pag. 420. T. II. *Opp. Francof.* 1599.

ADNOTATIONES.

Lin. 14. et seqq. Και γαρ της αφης, κ. λ.). Quaerebat rectissime Cotta a Velleio Epicurum pro aris ac focis defendente: *quos tactus, quos odores adhibebis ad Deos, ut eos perfundas voluptatibus?* Cic. *De Nat. Deor.* L. I. n. 112. Adposite Lucretius L. V. v. 152. et seq.

Tactile nil nobis quod sit, contingere debet:
Tangere enim non quit, quod tangi non licet ipsum.

Philodemus tamen Diis tribuit τα προς την αφην, immo την συναφην, cum qua etiam την συναφειαν tribuisse dubitandum non est; siquidem Epicurus hanc quoque in Sapiente laudabat. Eius enim est illud: συνουσιη .... αγαπητον, ει μη και εβλαψεν· *concubitus .... optabile, nisi et nocuerit.* Laërt. L. X. segm. 118. Cuius effati meminerunt Galenus in *Epidem.* L. III. Comm. 1. Cic. *Tuscul.* L. V. n. 94. et Plutarch. *Symp.* III. 6



G. B. Casanova dis. Fav.° Ventrella inc.

FRAGMENTORUM

TABULA VIII.

Num. 15.

. . . . . . ουδ' ὡς λιθον, ὁ εστι του μοιχευειν αδικτος, ουτω και Θηλυν εμοιχευεν αν. Ουκ αν Θεω μεντοι θελησειεν, ὡς ουδε λιθος· ουτε και ὁ Θεος, ειπερ εβουλετο τ' αγαθα μη λαμβανειν, τα δε κακα λαμβανειν, κανονισει ταυτα. Νυν δε πως ὁ Θεος αυτος και την εξουσιαν εχων, ουχ ὁμοιον, ουχ ὡραιον το Θειοι, η τα μητε. . . . .

. . . . nec *intelliget quispiam*, quomodo *Deus* cum lapide, qui huic rei idoneus non est, perinde ac cum foemina, rem utique habnerit. Non itaque *ille* gignere voluit, ut neque lapis: nec ipse Deus, etsi vellet bona respuere, et mala adcipere, posset haec abnormia ad rectam normam reducere. Iam vero quomodo Deus ipse, qui et potestatem habet, non aliquid sibi simile, non speciosum inter Deos, aut inter ea, quae neque *nimis a Divina natura distant, ad congrediendum elegit?*

CAP. IX.
Exsibilat fabulam de congressu *Dei* cum lapide.

16.

παρα..... τι, και απηνες. Του δε ιδιωματος αυτου το· περι την Αλγηδονα δι' ηρθρωμενην επινοιαν ουκ εστι πιθανον εχειν την ειδησιν· και ουκ εστιν ειπειν, πως ἑνεκα της αναλογιας της εκ των προειρημενων απαστης τουτο συμπεσειται. Χαριν μεντοι τουτων ουδεν παρ..ν ουκ εστι συμφεροντα, ὁθεν ἡ Αλγηδων φυεται . . . . .

improbum aliquid, et crudele. Eiusdem vero furfuria est illud: de Dolore haberi non potest probabilis scientia ex accurata commentatione; neque dici potest, quomodo propter recensionem integram eorum, quae iam disputata sunt, id contingat. Igitur propter haec nihil omnino est, quod admittat causas exhibentes id, unde Dolor gignitur . . . .

CAP. X.
Stoicorum de Dolore sententiam respuit.


Lin. 1. et seqq. *ὡς λιθον κ. λ.*). Totus huius Fragmenti sermo duo potissimum, nisi fallimur, memorare, et irridere videtur. Alterum, quod Lapides ad Deorum consortia admitterentur, et cum iis aliquando rem haberent; alterum, quod Stoici fabulis explicandis, ut superius diximus, obnixe incumbentes, durissimam provinciam cepissent; siquidem, ut ait Philodemus, *nec Deus ipse .... haec abnormia ad rectam normam redigere posset.* Ut autem huiusmodi *μυθολογιας* partem in clariore ponemus luce, pauca quaedam praemittamus, oportet. Nota res est, prima Deorum simulacra rudes informesque fuisse vel truncos, vel lapides; colique lapides coelo delapsos, *λιθους εμψυχους, βαιτυλια ξοανα.* Huius generis erant agrorum termini, de quibus Lucretius L. V. v. 1197, ait: *Nec pietas ulla est, velatum saepe videri Vertier ad lapidem.* Arnobius autem L. I. p. 22. luculentius rem testatur his verbis: *Si quando conspexeram lubricatum lapidem, et ex olivi unguine ornatum, tamquam inesset vis praesens, adulabar, affabar.* Huius porro ritus ungendi lapides *divos*, sicut Lampridius *Heliog.* c. 7. adpellat, frequens est mentio apud Minuc. Fel. p. 15; Apul. *Apol.* p. 497. et Florid. p. 758; eumque ab Iacobi exemplo deductum existimant nonnulli; is enim lapidem *unxit* in loco, qui dicitur Bethel, *Gen.* XXVIII, 18. Inde, si coniecturis datur locus, *divorum lapidum* adpellatio originem duxit, qua quidem adpellatione Lampridius *l.* o. voluit indicatum famosissimum illud simulacrum, ab Oreste et Iphigenia e Taurica ablatum, quod apud se conditum esse tot Asiae Europaeque civitates olim contendebant; sic enim Lampridius: *Lapides, qui divi dicuntur, ex proprio Templo Dianae Laodiceae ex adyto suo, in quo id Orestes posuerat, auferre voluit.* Hinc etiam est *Iupiter lapis*, per quem iurabant; atque hinc est, cur apud Grammaticos, referente Salmasio in Lamprid., legatur: *Abadir Deus est; dicitur et hoc nomine lapis ille, quem Saturnus dicitur devorasse pro Iove.* Neque vero omittenda Livii narratio de Dea Magna Matre, quam ab Attalo rege acceptam Romani legati Romam sollemni pompa deportarunt; quam quidem Deam *sacrum* dicit fuisse *lapidem, quam Matrem Deûm esse incolae* (Pessinuntis) *dicebant.* Liv. XXIX. 11. Formam autem adserunt quadrangularem multi Graeci Latinique Scriptores, et ex his Arnobius L. VI. p. 196. Quae quidem omnia ex Pyrrhae et Deucalionis diluvio conficta sunt, qui secundum oraculum ossa Matris post tergum iactantes, genus hominum repararunt. Sed tamen nusquam reperiemus huiusmodi *divos* lapides filios procreasse, nisi prodigium de Dea Phrygia, Matre Deûm, enarratum agnoscamus. Quod quidem ex Arnobii narratione in dubium revocari nequit, quum scilicet ab ea foetum lapideum editum tradit his verbis. L. V. p. 158. *In Phrygiae finibus inauditae per omnia vastitatis Petra, inquit (Timotheus), est quaedam, cui nomen est Agdus, regionis eius ab indigenis sic vocatae; ex ea lapides sumptos, sicut Themis mandaverat praecinens, in orbem mortalibus vacuum Deucalion iactavit et Pyrrha; ex quibus cum caeteris et haec, Magna quae dicitur, informata est Mater, atque animata divinitus. Hanc in vertice ipso Petrae datam quieti et somno, incestis Iupiter cupiditatibus adpetivit. Sed quum obluctatus diu id, quod sibi promiserat, obtinere nequisset, voluptatem in lapidem fudit victus. Hinc Petra concepit, et mugitibus editis multis prius, mense nascitur decimo materno ab nomine cognominatus Acdestis. Huic robur invictum etc.* Ne vero quis dicat ad Arnobianam narrationem minime referendum Philodemi sermonem, quia illa fortasse aetate multo recentiore invaluerat; perlegat Pausaniae locum, quo eadem fabula enarratur, eiusque fama ad N. A. pervenisse luculenter ostenditur. Νομιζουσι γε μην ουχ ούτω τα ες τον Αττην, αλλα επιχωριος εστιν αλλος σφισιν ες αυτον λογος. Δια ὑπνωμενον αφειναι σπερμα ες γην, την δε ανα χρονον ανειναι Δαιμονα διπλα εχοντα αιδοια, τα μεν ανδρος, τα δε (αυτῳ) γυναικος· ονομα δε Αγδιστιν αυτῳ τιθενται. Θεοι δε Αγδιστιν δεισαντες τα αιδοια οἱ τα ανδρος αποκοπτουσιν. *Sed alius longe sermo de Atte est apud ipsos memoriae consecratus. Iovem fabulantur per somnum in terram semen profudisse; terram postea absoluto foeturae tempore Genium edidisse, qui duplex haberet inguen, alterum maris, alterum foeminae; Agdistin appellatum: Deos monstro exterritos virilem ei partem excisisse.* Pausan. *Achaic.* p. 566. *Lipsiae* 1827. Caeterum ex Arnobio diligentius, quam ex Pausania, rem enarratam fuisse censemus. Non enim *Petra*, sed Γη *Terra* memoratur a Pausania, uti mater Acdestis (tametsi quaedam exemplaria habeant Αγδιστιν, quaedam vero Αγδιστιν); sed probabilius videtur *Agdum Petram* id excepisse ab Iove, unde mater efficeretur. Aliam quoque fabulam fortasse memoravit Philodemus, Mithrae videlicet nativitatem, quem εκ πετρας γεγενησθαι, *ex petra natum esse*, Ethnici arbitrabantur, uti testatur S. Iustinus, *Dialog. contra Tryphonem* pag. 296. S. Hier. *adversus Iovinianum* L. I. T. IV. p. II. p. 149. et Commodianus *Instr.* XIII. Huiusmodi commentum radices adeo altas in veterum mentes egerat, ut qui Mithrae mysteriis initiabantur, eum hoc titulo invocarent: Θεος εκ πετρας, *Deus e petra natus.* Iulius Firmicus. *Error. profan. Relig.* cap. V. Quin etiam eumdem Deum fabulabantur cum mulieribus noluisse rem habere, ac propterea cum petra concubuisse, atque ex ea suscepisse Diorphum. Μιθρας υἱον εχειν βουλομενος, και το των γυναικων γενος μισων, πετρᾳ τινι προσεξεφερεν· εγγυος δε ὁ λιθος γενομενος, μετα τους ὡρισμενους χρονους ανεδωκε νεον τ' ονομα Διορφον. *Mithras quum filium habere cuperet, et muliebre genus odio prosequeretur, cum petra quadam concubuit; quae praegnans post statutum tempus iuvenem progenuit nomine Diorphum.* Plutarchus, vel quivis Auctor Libelli *De Fluvior. et Mont. Nominib.*, int. *Vet. Geograph.* T. II. p. 46. *Ed. Hudson. Oxon.* 1703. Quae quum ita se habeant, istiusmodi omnino fabulas, potius quam Gigantum conceptionem (cui quidem in primo interpretationis experimento mentem intendebamus) significasse Philodemus videtur: quoniam non cum *Lapide*, sed cum *Terra* rem habuisse *Coelum* fabulantur, ut Gigantes gigneret. Vide Apollodorum *Biblioth.* L. I. c. 6.

ADNOTATIONES.

Lin. 8. *ουχ ὁμοιον, ουχ ὡραιον*). Haec litterulis extantibus, et intervalli capacitate ducti supplevimus. Neque vero gravius deest rationis momentum: novimus enim Epicureos omne ad *συνουσιαν* incitamentum a *similitudine*, et *pulchritudine* repetendum duxisse; uti innuit Lucretius Lib. IV. v. 1024. et seqq. Iure igitur a Philodemo Deus taxatur, quod, neutra incitatus, cum *lapide* congressus sit; ac propterea *gignere* non sibi proposuerit, tametsi conceptio filii forte sit consequuta.

Fragm. 16. Quomodo ad tractationem *de Diis* pertinere possit hoc Fragmentum, in quo *de Dolore* agitur, facili negotio intelligimus. Quemadmodum enim superius omnem iram ab Diis amovendam Philodemus ostendere conatus est; ita etiam omnem *improbitatem*, et *crudelitatem*, immo et omnem *Dolorem* ab eorum beatissima natura ablegandum heic probare videtur. Deridet itaque aniles fabellas a Poëtis confictas, atque ab Stoicis religiose explanatas, in quibus Dii modo improbi et improborum fautores, modo crudeles et crudelitatis auspices, modo denique tum mente tum corpore dolentes, turpe de se spectaculum tum Diis ipsis, tum hominibus exhibuerant.

Lin. 10. et seqq. Του δε ιδιωματος κ. λ.). De Doloris natura, speciebus, et causis mirum quantum disputaverunt Philosophi. Inter Cyrenaicos praecipue, Stoicos, atque Epicureos lis erat acerrima. Sed quoniam adversus Zenonem agit Philodemus, illa Stoicorum sententia in mentem est revocanda: *ουδε λυπηθησεσθαι τον Σοφον, δια το την Λυπην αλογον ειναι συστολην ψυχης· neque Dolore affectum iri Sapientem; quia Dolor est animi contractio rationi adversa.* Laërt. L. VII. segm. 118. Notum est enim Stoicos Sapientem voluisse *απαθη*, *imperturbabilem*: de quo paradoxo fuse disputat Lipsius *Manuduct. ad Stoicam Philos.* Lib. III. Diss. 7. Praecipue vero *negabant Stoici Metelli vitam beatiorem, quam Reguli.* Cic. *De Fin.* Lib. V. n. 82. Rursus Zeno aiebat: *paria sunt gaudium, et fortis atque obstinata tormentorum perpessio.* Senec. Epist. LXVI. *Iacere in convivio, et torqueri, paria sunt.* Id. Epist. LXXI. Epicurus contra animi corporisque Dolores distinguens, illos istis deteriores esse adserebat; quia arbitrabatur *την σαρκα δια το παρον μονον χειμαζειν, την δε ψυχην και δια παρελθον, και το παρον, και το μελλον· carnem praesenti tantummodo Dolore affici, animum vero et praeterito, et praesenti, et futuro.* Laërt. L. X. segm. 137. Immo quemadmodum in Voluptate summum bonum, ita in Dolore summum collocabat malum. Inquit praeterea: *Αλγηδων πασα, κακον.* Ibid. segm. 129. De qua re consule Gassendum *De Morali Philosophia Epicuri.* Tom. II. p. 104. *Lugd.* 1675. In tanta itaque Stoicorum, atque Epicureorum dissensione, mirum non est, si Zeno eam de Dolore protulerit sententiam, quam Philodemus heic refert. Immo Epicureo homini perbelle congruit, ut Zenonem exsibilet, qui Doloris causam, et naturam omnino se aut ignorare, aut reiicere dictitabat. In superioribus nimirum versiculis, qui ad nos non pervenerunt, exposuerat Philodemos Sectae suae de Dolore placita; exposuerat pariter contraria Stoicorum scita, illa defenderat, haec refutarat: subiicit deinde ea, quae in Fragmento legimus, quaeque indicant temere dictum esse, ex Epicuri principiis nullam Doloris rectam erui notionem. Ita profecto Fragmenti verba probe intelliguntur; quae deinde ad Deos ab omni aegritudine liberandos, quomodo Noster adplicuerit, lacuna perlegere non sinit.



G. B. Casanova dis

G. Casanova inc.

COLUMNA I.

. . . . [illegible]
δ. . . κιναι τ. . ς ειχειν αφ. νω. . . . υ
τι εις αλλ. . ευα. . . νοιαν . . . . . ου
μην απαντα . . . των. Οιητεον . . . ους,
. . κατα το Συ. . ου Εργειλοι καλουνται,
(τους γα. . πειρους ου δυνατον) αλλην
. . γνωσιν αφικνεισθαι. Διοπερ ου Θεους
των . . . . . ν Φιλους αν τις ειπ. . ,
κ. . υ . . . . αι . . ων ειπο . . . . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . τοις Θεοις και θαυμαζει την . υσιν
. . , . . την διαθεσιν, και πειραται συνεγγι-
ζ. . αυτη· και καθαπερ ειλιχεται θιγειν,
. . . ειναι, καλειτ. . και τους Σοφους τ. ν
. . . Φιλους, και τους Θεους των Σοφων.
. . . υκ εοικαμε. . . τα τοιαυτα την Φι-
. . . ιρειν· ὡστε βελτε. . ν αυτα τα πραγμα-

CAP. XI. Num Dii sint Sapientium amici.

. . . . . . solent vanae opiniones abundanter occupare adolescentes, nec quidquam eos in aliam rectam sententiam trahit, nec certe horum aliquid eis in mentem venit. Censendum est itaque Deos, qui secundum Sylli effatum Operatores vocantur (siquidem ignavi esse non possunt) in aliam notionem devenire. Propterea nemo Deos Sapientium omnium amicos dixerit, neque hoc sensu dixerit amicitiam *inter hos et illos coniungi, quod utilibus operibus pariter incumbant.* . . . .

. . . .

. . . .

Zeno in Diis et admiratur tum naturam, tum habitum, et ipsis accedere conatur; et velut si eo provolvatur, ut illos adtingat, atque cum ipsis sit, vocat tum Sapientes Deorum amicos, tum Deos Sapientium. Atqui non putamus consentaneum hoc sensu amicitiam dicere: quapropter melius ipsae res, *quam nomina perpendenda sunt in hac quaestione.*

ADNOTATIONES.

Lin. 1. et seqq. τοιχασιν κ. λ.). Quod Stoici vanis opinionibus adolescentium animos satis superque imbuerent, eosque ad elationem, non ad rectas perducerent sententias, passim Philodemus, caeterique Epicurei querebantur. Profecto iuvenes veritati adripiendae parum idonei sunt, ac res suo Marte considerantes nubem saepe pro Iunone amplectuntur; si autem deceptio accedat praeceptoris, *nihil eos in rectum sententiam trahet.* Epicurus in suis Epistolis totus in hoc est, ut a discipulorum suorum mentibus *vanas opiniones* evellat; atque identidem hoc inculcat, quum Herodotum de *Rebus Naturalibus* erudit, quum ad Pythoclem de *Coelestibus Corporibus* scribit, quumque de *Vita degenda* Menoeceum monere satagit: sed praecipue eius Κυριαι Δοξαι ad κενας δοξας refutandas conscriptae sunt. Laërt. L. X. segm. 144. et alibi. Profecto harum opinionum plurimae etiam recensentur a Sexto *Hypotyp.* L. I. c 14. et a Plutarcho *De Stoicorum Repugnantiis* p. 1003. *Francof.* 1599. Quasnam vero opiniones in superioribus versibus omnino deperditis memoraverit N. A., definire non audemus: certe quidem ad Deorum naturam et operationes pertinebant, ut ex consequentibus patet.

Lin. 5. Συλλον). Litterulae superstites, et spatiolum huic nomini restituendo viam straverunt. Huius autem Philosophi mentio habetur apud Ciceronem his verbis: *Zeno quidem non eos solum, qui tum erant, Apollodorum, Syllum, caeteros figebat maledictis: sed Socratem ipsum, parentem philosophiae, latino verbo utens, scurram Atticum fuisse dicebat: Chrysippum nunquam, nisi Chesippum vocabat. De Nat. Deor.* Lib. I. n. 34. Temere itaque Sylli nomen heic expungendum Victorius duxit, *quod eius disciplinae nullum Syllum vocatum umquam legerit. Variar. Lection.* L. XXIV. c. 19. perinde ac si Ciceronis auctoritas tanti non esset, ut philosophorum catalogo nomen alibi non recensitum adnumeremus. Confirmatur idcirco per Philodemum Rheinesii opinio, qui Sylli nomen omnino servandum contendit. *Variar. Lect.* L. III. c. 2. Hanc probe sequuntur et Fabricius, et Harlesius in Epicureorum Catalogo, et ipse Buherius, quem etiam citat Davisius in Notis ad Ciceronis locum supra laudatum. Interest tamen, ut statuamus ad quamnam Sectam Syllus pertinuerit; nam Ciceronis verba ancipitem hac de re lectorem relinquunt. Fabricius, ac Rheinesius inter Epicureos eum recensent: Harlesius Academicum putat: ex Iamblico Sylli nomen inter Pythagoreos locum habet. *Vit. Pythag.* §. 159. Vide Ioannem Ionsium *Histor. Philosoph.* L. II. c. 15. Mihi vero ea adridet sententia, quae ipsi in Stoa sedem constituit, quaeque explicandis Philodemi verbis opportunior videtur. Stoici enim Deos non *ignavos*, sed *operatores* censebant: atque hoc est Sylli *effatum*, quod heic profertur. Tria autem sunt, quae hanc opinionem satis superque confirmant. Primum est Aldobrandini auctoritas, qui inter Stoicos *Apollodorum Syllum* pro *Apollodoro Ephillo* (virgula inter utramque vocem praetermissa), in suo Diogenis Codice legendum iudicat, subiiciens: *Ego enim ita existimo eumdem esse, de quo Cicero et Laërtius verba faciunt, at litterarum vicinitatem depravationi huius loci causam adtulisse.* Ad Laërt. L. VII. segm. 39. Alterum, quod Cicero Zenonem Epicureum Syllum contumeliis figentem ibi memoret, uti probat Menagius ad Laërt. L. VII. segm. 35. Epicurei autem, uti in Praefatione monuimus, mira inter se consensione gaudebant, nec se invicem insectabantur. Tertium, quod Cicero, qui Zenonem maledicentem inducit, cum Apollodoro, cum Syllo, et cum caeteris Socratem, et Chrysippum αμεσως copulet, qui utique Epicurei non erant. Debemus itaque huic Philodemi loco plura, de quibus hactenus eruditi ambigebant; videlicet extitisse Philosophum Sylli nomine celebrem, eum ab Apollodoro fuisse diversum, et Stoicorum Sectae dedisse nomen.

Ibid. Εργυλοι). Frustra hanc vocem in Lexicis requires: eam tamen απο του εργου deductam fuisse nemo inficias ibit; idcirco *operatores* hoc nomine intelligi haud temere arbitrati sumus. Favet autem nostrae interpretationi αντιθεσις, quae in voce απειρους deprehenditur; neque enim istud verbum *infinitos* vertes, sed *ignavos*, uti explicatur. Quinam autem Dii fuerint vocati Εργειλοι, paullo diligentius inquirendum est; neque enim placet nodum Gordianum potius scindere, quam solvere: scindere, inquam, foret, si eos inter ignotos Deos poneremus. Et sane *Chrysippus, qui Stoicorum somniorum vaferrimus habetur interpres, magnam turbam congregat ignotorum Deorum, atque ita ignotorum, ut eos ne coniectura quidem informare possimus, quum mens nostra quidvis videatur cogitatione posse depingere.* Cic. *De Nat. Deor.* L. I. n. 13. Praeterea *Persaeus eiusdem Zenonis auditor eos dicit habitos esse Deos, a quibus magna utilitas ad vitae cultum esset inventa.* Idem ibid. L. I. n. 15. Immo Deos ipsos, tametsi *non cum labore operoso, et molesto moliantur, quae agant*, tamen et *multos* esse, nec *cessare* ab aliqua operatione, et a levi labore Stoici tradiderant, uti testatur Tullius: *iam propemodum adparet multitudo nec cessantium Deorum, nec ea, quam agant, molientium cum labore operoso, ac molesto.* Idem *ibid.* L. II. n. 23. Ad tales utique Deos illi pertinent, quos D. Augustinus recenset, quique laboriosis hominum operibus praesentissimi praeerant, perinde ac si cum ipsis hominibus laborarent. *Nec agrorum munus uni alicui Deo committendum arbitrati sunt; sed rura Deae Rusinae, iuga montium Deo Iugatino, collibus deam Collatinam, vallibus Valloniam praefecerunt. Nec saltem potuerunt unam Segetiam talem invenire, cui semel segetes commendarent: sed sata frumenta quamdiu sub terra essent, praepositam voluerunt habere Deam Seiam; quum vero iam essent super terram et segetem facerent, Deam Segetiam; frumentis vero collectis atque reconditis, ut tuto servarentur, Deam Tutilinam praeposuerunt. Cui non sufficere videretur illa Segetia, quamdiu seges ab initiis herbidis usque ad aristas aridas perveniret? Non tamen satis fuit hominibus Deorum multitudinem*


amantibus, ut anima misera daemoniorum turbae prostitueretur, unius Dei veri castum dedignata complexum. Praefecerunt ergo Proserpinam frumentis germinantibus, geniculis nodisque culmorum Deum Nodotum, involumentis folliculorum Deam Volutinam; quum folliculi patescunt, ut spica exeat, Deam Patelanam; quum segetes novis aristis aequantur, quia veteres aequare hostire dixerunt, Deam Hostilinam; florentibus frumentis Deam Floram, lactescentibus Deum Lacturnum, maturescentibus Deam Maturam; quum runcantur, idest a terra auferuntur, Deam Runcinam. Nec omnia commemoro, quin me piget, quod illos non pudet .... Unum quisque domui suae ponit ostiarium, et quia homo est, omnino sufficit: tres Deos isti posuerunt, Forculum foribus, Cardeum cardini, Limentinum limini. Ita non poterat Forculus simul et cardinem limenque servare. De Civ. Dei L. III. c. 8. Quin etiam Varro bene se de hominibus meritum iactabat, quod eis indicaret, quemnam Deorum in unaquaque re *et advocarent, et invocarent.* Vide *ibid.* L. IV. c. 22. ubi et paullo ante c. 21. alia legitur Deorum turba operibus explendis adsidue occupata. Huiusmodi itaque Deos Syllus vocabat Εργιλους, fortasse απο του εργα ειλειν, *a volvendis operibus;* quia ut annus *volvitur*, novis ipsi *operibus* vacarent; nosque vertimus *Operatores*, et απειρους, *cessantibus* opposuimus. Sic itaque eam vocem explicamus, ne ad Minervam Εργανην, de qua vide Hesychium h. v., aut ad Εργινον Neptuni filium, cuius meminit Apollodorus *Biblioth.* L. I. c. 9. aut ad Εργατας, τους επ' αγρων οικετας, *servos ad agros colendos*, aut ad huius generis quidpiam, confugiamus, quod ad rem minus facere videtur.

Lin. 6. et seq. αλλην εις διαγνωσιν αφικνεισθαι). Ut Philodemi mentem adsequamur, animadvertamus, oportet, quid Epicurus de Deorum operationibus senserit. Is scilicet evidentem esse Deorum notionem, eamque contrariam vulgi opinionibus putabat. Εναργης εστι Θεων γνωσις· οιους δ' αυτους οἱ πολλοι νομιζουσιν, ουκ εισιν...ου γαρ προληψεις, αλλ' ὑποληψεις ψευδεις αἱ των πολλων ὑπερ Θεων αποφασεις. *Evidens est Deorum notio: quales autem eos vulgus existimat, non sunt...non enim sunt anticipationes, sed opinationes falsae, quas vulgus de Diis pronunciat.* Laërt. L. X. segm. 123. Quapropter ad Dei γνωσιν minime pertinere arbitrabatur eas ὑποληψεις, atque αποφασεις, per quas Dei *otium* perturbaretur. Quum itaque Syllus *Deos Operatores* induceret; ipsos Philodemus, ex Magistri sui mente, ad aliam διαγνωσιν, non ad Dei γνωσιν devenire, videlicet non esse re vera Deos, sed aliud quidpiam adfirmat. Ita profecto errores ex erroribus fluunt, atque per alios errores oppugnantur; nisi Christianae Fidei lumen ad fugandas veteris Philosophiae tenebras ingeratur.

Lin. 7. et seqq. Διοπερ κ. λ.). Sollemne fuit Stoicis, quos refellit Philodemus, illud de Sapiente praedicare, quod sit Dei amicus, immo et *Socius. Hoc est*, inquit Seneca, *summum bonum: quod si occupas, incipis Deorum Socius esse, non supplex.* Ep. XXXI. *Dei Socii sumus, et membra.* Ep. XCII. Item Epictetus sapientem inducit περι της προς τον Δια κοινωνιας βουλομενον, *societatem Iovis habere cupientem.* Diss. II. c. XV. Ex Platone *in Philebo* hanc doctrinam originem duxisse testantur Clemens Alexandrinus *Strom.* L. II. segm. 5. et D. Augustinus *de Civitate Dei.* L. VIII. c. 11.

Lin. 14. Θαυμαζει). Quisnam iste Philosophus sit, quem Noster heic carpit, non satis constat. Lacuna enim non mediocris nobis fortasse eius nomen, et aliquam sententiae suae probationem invidit. Autumamus tamen eumdem esse Zenonem, cuius nonnulla placita superius refutata sunt, quique utpote Stoicorum Antesignanus, Deorum naturae, et proprietatibus Sapientes *accedere* arbitrabatur. Eum etiam carpere videtur Empiricus his verbis: εχρην και τους ανθρωπους, και μαλιστα τους φιλοσοφουντας ἡγεισθαι Θεους, συνωφελουσι γαρ ἡμων τον βιον. *Oporteret etiam homines (utiles), praecipue Philosophos, Deos existimare; nostrae enim vitae prosunt. Hypotyp.* L. IX. n. 39. Profecto Stoici adserere non dubitarunt, *Sapientem Deo esse parem. Sapiens cum Diis ex pari vivit*, ait Seneca Epist. LIX. Hanc sententiam Chrysippo tribuit Stobaeus: την ευδαιμονιαν (Σοφων) μη διαφερειν της Θειας ευδαιμονιας, *felicitatem sapientium nihil a Divina differre. Eclog. Ethic.* L. II. c. 6. Vide etiam Epictetum Diss. I. c. XII. et Diss. II. c. XV. Quod autem Philodemi verba planius explicat, est illud Ciceronis, e virtutibus *vita beata existit, par et similis Deorum, nulla re nisi immortalitate, quae nihil ad bene vivendum pertinet, cedens Coelestibus. De Nat. Deor.* L. II. n. 61. Adde et illud Senecae, *Sapiens vicinus proximusque Diis consistit, excepta immortalitate, similis Deo. De Const. Sapientis* c. VIII.

Lin. 19. et seqq. Αλλ' ουκ κ. λ.). Tum haec verba, tum quae modo legimus: *neque hoc sensu dixerit amicitiam*, nobis revocant in mentem amicitiae naturam et vim ab Epicuro definitam, de qua superius egimus, et cum qua Stoicorum doctrina, et Deorum ad hominis habitus conciliari non poterant. Caeterum ubi in ima pagellae ora supplevimus, *melius res ipsae, quam nomina attendenda sunt in hac quaestione*, illud Stoicis vitium exprobrat Philodemus, quo semper male audierunt: videlicet quod *neque in hac quaestione Stoici delectentur, nisi novitate verborum. De Civit. Dei* L. IX. c. 4. *Stoici non tam de rebus, quam de verbis cupidiores sunt contentionis, quam veritatis. Ibid.* L. XIV. c. 9.



G.B. Casanova dis. *R. Biondi inc.*

COLUMNA II.

. . . . . Κατ' ουν τα των Θεων τα των Σοφων εξαιρεται. Ταχα δε καταστησων συνηθειαν και παρρησιας καλουμενης Θεων των, και παρασκευης μετ' ευτελειας τε, και προσοικειωσεως τω μεταλαμβανοντι, και παλιν ευχαριστιας τε, και αποδοχης προς τῳ ανδρι, η τῳ ἑτερῳ Θεῳ . . . . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . . Τουτο τοις μεν ολιγοις καταλλειμμα τι δοκει· πλειοσιν δ' ευδοκει, και προσοικειουνται και μεγαλως, όπερ ουκ ασυνηθες, ονομαζειν. Αξιωτιον δ' αδιαλειπτως γε τουτο ποιειν, και καταφλυαστεον τουτο. Δι' ὧν ειωθαμεν τα την συνεχεστατην επιβολην επιτασσοντα, και παρ' αυτα τελλοντα αγαθα μεθ' ἱκανων

CAP. XII. Quomodo Zeno Sapientibus Deorum proprietates tribuat.

. . . . Itaque secundum Deorum proprietates *Zeno* eas, quae Sapientium sunt, extollit. Fortasse vero constituturus consuetudinem tum eius, quae libera Deorum loquutio dicitur, tum adparatus, qui et frugalis, ac utenti adcommodatus sit, tum rursus gratiarum actionis, et adceptationis erga hominem, aut alterum Deum *aliquid dantem, Sapientium, perinde ac Deorum, vitam instituit* . . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . . . Hoc paucis quidem defectus aliquis videtur: pluribus autem probatur, et adeo consentaneum est, ut magnifice, quod quidem insuetum non est, celebretur. Statuendum itaque est hoc perpetuo agere; et illud inter nugas amandandum est. Quibus de causis solemus ea, quae perpetuam mentis contentionem imponunt, et ad ipsa mittunt bona non sine satis magnis *laboribus, nos reiicere, nisi si quid intervenerit.*

Lin. 1. et seq. Κατ' ουν, κ. λ.). Plutarchus, qui acerrime Stoicos insectatur, quod a *Communibus Notionibus* in suis placitis identidem discedant, illud praecipue damnat, quod Sapientem Dei adtributis exornent. Stoicis enim Sapiens, perinde ac si foret Deus, μηδενος εχει χρειαν, μηδε δειται τινος· εκεινος ολβιος, εκεινος απροσδεης, εκεινος αυταρκης, μακαριος, τελειος· *nulla re opus habet, nullius indiget: ille fortunatus est, ille nullius rei indigus, ille sibi sufficiens, beatus, perfectus. Advers. Stoicos* p. 1068. *Francof.* 1099. Rursus Stoicus docet, αρετη τε ουχ υπερεχειν τον Δια του Διωνος, ωφελεισθαι τε ὁμοιως ὑπο αλληλων τον Δια, και τον Διωνα σοφους οντας, ὁταν ἑτερος θατερου τυγχανη κινουμενου. Τουτο γαρ εστιν, ὁ και παρα Θεων αγαθον ανθρωποις ὑπαρχει, και Θεοις παρα ανθρωπων, σοφων γενομενων, αλλο δε ουδεν· αρετη δε ουδεν απολειπομενον ανθρωπον ουδεν αποδειν ευδαιμονιας λεγουσιν· *virtute Iovem Dioni non praestare, et aequaliter fuisse commodatum Iovi, ac Dioni, alteri ab altero, quum sapientes essent, et alter in alterius motum incidisset. Hoc enim est bonum illud, quod et a Diis ad homines, et ab hominibus Sapientibus ad Deos pervenit, nullum aliud: porro virtute Diis non inferiorem hominem, felicitate quoque non cedere iis, Stoici dixerunt. Ibid.* p. 1076. Quae omnia si Plutarcho displicebant, tametsi is minus ab Stoicorum philosophia, quam ab Epicureorum disciplina abhorrebat; mirum non est, si Philodemo Epicureorum disertissimo non probentur, et in praesenti pagella lectorum contemptui et irrisionibus exponantur. Adde, quod Philodemo consonat idem Auctor, ubi Stoicum Sapientem αιρεσθαι και ογκουσθαι, *efferri atque inflari* a suo Praeceptore dicit. *De Stoicor. Repugnantiis*, p. 1043.

Lin. 2. et seqq. Ταχα δε κ. λ.). Quae heic perleguntur Stoicos tum Diis, tum Sapientibus tribuisse nemo diffitebitur, qui in eorum philosophia hospes non sit. Praesertim de gratiarum actione, quam heic memorat Philodemus, haec habemus apud Plutarchum, cuius Opera plurimam nostris commentationibus lucem afferunt: λεγουσιν οἱ Στωϊκοι, ὁτι ἡ χαρις εις τα μεσα διατεινει, και το μεν ωφελειν και ωφελεισθαι, Σοφων εστι, χαριτος δε και οἱ φαυλοι τυγχανουσιν κ. λ. *Gratiam dicunt Stoici in medias res tendere; atque utilitatem tum adferre, tum percipere Sapientium esse, gratiam etiam ad vitiosos pertingere, etc. Ibid.* p. 1068.

Lin. 3. και παρρησιας καλουμενης των Θεων). Celebre est illud Diogenis: τι καλλιστον εν ανθρωποις; παρρησια. *Quid optimum in hominibus? loquendi libertas.* Laërt. L. VI. segm. 66. Haec Cynicorum doctrina ad Stoicos quoque pertinuit: nam κοινωνια τις ταις δυσι ταυταις αἱρεσεσιν εστιν, *societas quaedam est inter has duas sectas.* Id. *ibid.* segm. 104. Quapropter Zeno hanc in Sapiente libertatem requisivisse videtur illis verbis: και αυστηρους δε φασιν ειναι παντας τους σπουδαιους, τω μητε αυτους προς ἡδονην ὁμιλειν, μητε παρ' αλλων τα προς ἡδονην προσδεχεσθαι· *severos autem aiunt esse sapientes omnes, quod neque ipsi loquantur ad voluptatem, neque ab aliis ad voluptatem dicta excipiant.* Id. L. VII. segm. 117. Ipsissima omnino verba habes apud Stobaeum in *Eclogis Ethicis* L. II. c. 5. et apud Suidam in V. Αυστηρος, ubi et Laërtii σπουδαιος explicatur σοφος. Haec utique de Sapiente: sed nusquam eadem dicta invenimus de Diis, neque etiam in toto Volumine Περι Παρρησιας, quod nuper editum est. Quin immo ibi dum laudatur Sapientium παρρησια, taxantur fabulae, quibus Iupiter, aliaque Numina inducuntur irata propter hominum παρρησιαν. Vide Col. X. pag. 19. et Praef. §. VIII. pag. IV. et seq. Quare nihil melius succurrit, quam ea dicendi libertas, cuius exempla apud Lucianum in *Deorum Dialogis* frequentissima sunt. Certe quidem in *Deorum Concilio* το στρυνειν προς την παρρησιαν vocatur βασιλικον, ὡς αληθως, και μεγαλοφρον, *incitare ad loquendi libertatem est regium quam verissime, et magno animo dignum.* Ita inquit magnus ille παρρησιαστης Momus. Cap. 4. p. 529. ibid. Caeterum et in aliis Dialogis Samosatensis ille Deos inducit, qui homines παρρησια offensos reprehendunt; ut quum Mercurius hac de causa Charontem adfatur his verbis: Ου φερει ὁ Λυδος, ω Χαρων, την παρρησιαν, και αληθειαν. *Non fert Lydus, o Charon, loquendi istam libertatem, verosque sermones. Contemplant.* Cap. 13. pag. 507. T. I. *Amst.* 1743. His profecto rationum momentis, et quia spatium minus commode ferebat, respuimus το ευεργεσιας pro παρρησιας. Illud etiam videri poterat opportunum: siquidem ευεργεσια ad Deos pertinet, nec Sapiente indigna habebatur ab Stoicis.

Lin. 4. παρασκευης, κ. λ.). Quod hi mores Stoicis, eorumque Institutori fuerint adtributi, tum Laërtius L. VII. segm. 65. tum Stobaeus in *Eclog. Ethic.* L. II. c. 5. tum Lucianus in Hermotimo cap. 16. et seqq. cum recentiores plurimi, quos inter Bruckerus *Histor. Crit. Philos.* Per. II. Part. I. L. I. Cap. 2. sect. 7. testes sunt locupletissimi. Porro in eadem linea cernitur Ευxτελιας. Ita scripserat dormitans Amanuensis pro ευτελιας· Orthographus superposito puncto superfluam expunxit litterulam.

Lin. 5. προσοικειωσεως). Novum nomen, quod a verbo προσοικειουν in veteribus libris obvio facile deducitur, et significationem suam per se prodit.


Lin. 12. et seqq. Τουτο τοις, κ. λ.). Quorsum respiciat Philodemus, et quid sit illud, quod nonnulli mendosum putent, plures vero adprobent et extollant; satis amplus hiatus certo definire non sinit. Duo utique proposuerat Philodemus, ut ex verbis sequentibus patet; eorumque alterum a nonnullis reprobari, ab aliis vero, quos inter et ipse erat, laudari docet; alterum inter nugas amandat. Haec autem ipsa inter Epicuri placita ab Stoicis reiecta reperiri, et ad Deos, simulque ad Sapientes, de quibus heic agitur, pertinere, sat facile eruitur ex Plutarchi disputatione adversus Stoicos, ubi de otio Sapientis agitur. Chrysippus enim dicebat, τον Σοφον απραγμονα τε ειναι, και ιδιοπραγμονα. . . τω γαρ οντι φαινεται ὁ κατα την ἡσυχιαν

ADNOTATIONES.

βιος ακινδυνον τι, και ασφαλες εχειν, *Sapientem et carere negotiis, et sua agere negotia ... re enim vera otiosa vita videtur periculis vacare, et in tuto versari. De Stoicor. Repugnant.* p. 1043. Ubi et Plutarchus animadvertit, *ότι ταυτα τῳ Επικουρῳ την προνοιαν αναιρουντι, δια της απραγμοσυνης της περι τον Θεον, ουκ απῳδει, haec ab Epicuro, qui providentiam Deo sustulit, ut Deum redderet otiosum, non dissonare.* Quare id omnino videtur esse, quod Philodemus probat, et quod a nonnullis reiici fatetur; quum ad Deos simul, et ad Sapientes respiciat. Illud autem, quod ipse respuit, et nugatorium censet, habes ibidem inter *Stoicorum repugnantias* enumeratum: quod scilicet Sapiens dum otiosam sectatur vitam, atque in ea virtutem excolit, et felicitatem nanciscitur; simul etiam βασιλειαν έκουσιως ανεχεται, χρηματιζομενος απ' αυτης, *Regnum ultro suscipit, ut inde quaestum faciat:* perinde quasi in administranda republica Sapiens eamdem tranquillitatem, ac in privata vita, possit obtinere. Placet igitur Philodemo, quod Dii, ac Sapientes tranquilla otiosaque vita perfruantur; displicet vero, quod ita viventes negotiis publicis expediundis incumbant; *quia haec perpetuam mentis contentionem imponunt, et non sine satis magnis laboribus nos mittunt ad ea ipsa bona, scilicet ad tranquillitatem, quae in privata vita facilius obtinentur.* Nimirum hanc doctrinam, quam heic obiter indicat, alibi fusius exposuit, uti et nos ipsi animadvertimus. Vide in Tom. IV. Praef. in Philod. p. III. et Adnot. in Col. XIV. et XV. et Adnot. in Polystr. Col. XX. Coniecturam nostram qui non probaverit, aliam si vacat, candidus impertiatur.

Lin. 16. καταφλυαστειον). Verbum φλυαζειν, *nugari*, habemus apud Kusterum *Bibl. Chois.* 99. et apud Schaeffer. MSS. Inde novae vocis καταφλυαζειν vim excudimus.

Lin. 17. et seqq. Δι' ὧν ειωθαμεν). Quod nostrae interpretationi satis favet, est illud Senecae: *Duae maximae hac in re dissident Sectae, Epicureorum, et Stoicorum: sed utraque ad otium diversa via mittit. Epicurus ait:* non accedet ad remp. Sapiens, nisi si quid intervenerit. *Zeno ait:* accedet ad remp., nisi si quid impedierit. *Alter otium ex proposito petit, alter ex causa. De Otio Sap.* C. XXX. Ad hanc itaque Epicureorum sententiam reducimus το ειωθαμεν, et caetera, quae interpretantes supplevimus.



G. B. Casanova dis. *L. Corazza inc.*

COLUMNA III.

. . . . καθ' ἣν Φοραν ει Θεων το σωμα ὁλομελες λεγεται, παντες αν ειεν ισοι. Των μεν δη τοιουτων εστιν αλις σκεμματων εκζητηθεν το και παρα των ακριβεστερων, ει των κωλων εχουσι χρειαν οἱ Θεοι, και τινα ταξιν διατηρει ταυτα . . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . . δια καταληψιν εχον το ῥεζον οιπαμεν, και κατα συναυξησιν το μεγιστον περι αμφοτερα τα μερη· και παρα τους αλλους βιαν ποιουμενος τουτων μεν τας εκκχιρκους μεταβο-

CAP. XIII.

Quid de Deorum membris senserint Epicurei.

. . . . secundum quam adtributionem si Deorum corpus integris constare membris dicitur, omnes utique pares sunt. Certe quidem ad huiusmodi quaestiones pertinet illud etiam non sine multis speculationibus quaesitum ab accuratioribus viris; num membrorum usum habeant Dii, et quemnam ordinem haec servent . . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . . . . *nos incusant, quod minime* dixerimus per comprehensionem habens id, quod facit, et per amplificationem maximum id, quod est maius inter duas partes: et dum prae aliis *philosophis* vim facimus, quorumdam quidem importunas translationes *reprehendamus, aliorum vero sententias nobis contrarias contumeliose impugnemus.*

ADNOTATIONES.

Lin. 2. ὁλομελεις). Ita refinximus verbum, quod Amanuensis corruperat. Novimus enim Epicureos formam Diis tribuisse humanam, uti et innuimus in adnotationibus ad Fragm. Tab. III. lin. 5. et seqq. Vide etiam Plutarchum *De Placitis Philosoph.* L. I. c. 7. et Empiricum *Pyrrhon. Hyp.* L. III. segm. 24. Rationes, quibus movebantur ad huiusmodi adsurdum pro aris, ac focis tuendum, memorantur a Tullio, qui et eas copiosissime refellit: *non deest*, inquit, *hoc loco copia rationum, quibus docere velitis, humanas esse formas Deorum: primum quod ita sit informatum, anticipatumque mentibus nostris, ut homini, quum de Deo cogitet, forma occurrat humana: deinde ut quoniam rebus omnibus excellat natura divina, forma quoque esse pulcherrima debeat: nec esse humana ullam pulchriorem. Tertiam rationem affertis, quod nulla in alia figura domicilium mentis esse possit. De N. D.* L. I. n. 27. Quare Epicurus censebat Deos habere parem formam, atque esse ισους, siquidem in eorum contemplatione *intelligi necesse est eam esse naturam, ut omnia omnibus paribus paria respondeant; hanc ισονομιαν adpellat Epicurus, idest aequabilem tributionem.* Cic. *ibid.* n. 19. Id recte refutat ipse Tullius, quum inde infert, Deos, utpote omnino aequales, discerni omnino non posse: *si una omnium facies est, florere in Coelo Academiam necesse est: si enim nihil inter Deum et Deum differt, nulla est apud Deos cognitio, nulla perceptio. ibid.* n. 28. Haec satis explicant Philodemi sententiam, quae corpus Deorum integris constare membris, et eos omnino pares esse adfirmat. Verumtamen si pro ὁλομελεις, quod passim in veteribus libris occurrit, ὁμομελεις, *eorumdem membrorum* legere mavis; αυτογραφον quidem minime repugnat, sed vocabulum habebis Lexicographis ignotum, et significationem a sensu nuper exposito non alienam, duce αναλογια, elicies.

Lin. 3. et seqq. Των μεν δη τοιουτων κ. λ.). Quaestionem de usu membrorum ab altera modo memorata de membris ipsis, quae Diis tribuebantur, pendere nemo non videt. De huiusmodi usu *ab accuratioribus viris* disputatum fuisse adfirmat Philodemus; siquidem plura Stoici, nec immerito, Epicureis hac de re obiiciebant, pluresque futilissimas istorum cavillationes refutare consueverant. Audi Stoicum adversus Epicurum: *Omnesne tibi illi delirare visi sunt, qui sine manibus, et pedibus constare Deum posse decreverunt? Ne hoc quidem vos movet, considerantes quae sit utilitas, quaeque opportunitas in homine membrorum, ut iudicetis, membris humanis Deos non egere? Quid enim pedibus opus est sine ingressu? Quid manibus, si nihil comprehendendum? Quid reliqua descriptione omnium corporis partium, in qua nihil inane, nihil sine causa, nihil supervacaneum est? Itaque nulla ars imitari sollertiam naturae potest. Habebit igitur linguam Deus, et non loquetur; dentes, palatum, fauces nullum ad usum: quaeque procreationis causa natura corpori adfinxit, ea frustra habebit Deus: nec externa magis, quam interiora, cor, pulmones, iecora, cetera: quae detracta utilitate, quid habent venustatis, quandoquidem haec esse in Deo propter pulchritudinem vultis?* Cic. *De Natura Deorum* n. 33. .... *Omnis cultus, et curatio corporis erit eadem adhibenda Deo, quae adhibetur homini: ingressus, cursus, adcubitio, sessio, comprehensio; ad extremum etiam sermo, et oratio. Nam quod et mares Deos, et foeminas esse dicitis, quid sequatur videtis. Equidem mirari satis non possum, unde ad istas opiniones vester ille princeps venerit.* Ibid. n. 34. .... *Nisi forte ne hoc quidem attendis, non modo in homine, sed etiam in arbore, quidquid supervacaneum sit, aut usum non habet, obstare. Quam molestum est uno digito plus habere? Quid ita? quia nec speciem, nec usum alium quinque desiderant. Tuus autem Deus non digito uno redundat, sed capite, collo, cervicibus, lateribus, alvo, tergo, poplitibus, manibus, pedibus, feminibus, cruribus. Si ut immortalis sit, quid haec ad vitam membra pertinent? quid ipsa facies? magis illa, cerebrum, cor, pulmones iecur, haec enim sunt domicilia vitae.* Ibid. n. 35. .... *Quanto melius haec vulgus imperitorum? qui non membra solum hominis Deo tribuunt, sed usum etiam membrorum. Dant enim arcum, sagittas, hastam, clypeum, fuscinam, fulmen: et si actiones, quae sint Deorum, non vident, nihil agentem tamen Deum non queunt cogitare.* Ibid. n. 36.


Lin. 14. et seqq. δια καταληψιν κ. λ.). Quid sibi velit καταληψις apud veteres Philosophos, tradit Cicero his verbis: *καταληψιν, quam, ut dixi, verbum e verbo exprimentes comprehensionem dicemus. Acad. Quaest.* L. IV. n. 145. et *De Fin.* L. III. n. 49. Ita etiam καταληπτον vertit *comprehensibile.* Ibid. L. I. n. 41. Hoc autem verbum ad Zenonis scholam omnino pertinebat. *Hoc quidem Zeno*, inquit Tullius, *gestu faciebat; nam quum extensis digitis adversam manum ostenderat, visum, inquiebat, huiusmodi est: deinde quum paulum digitos constrinxerat, assensus huiusmodi: tum quum plane compresserat, pugnumque fecerat, comprehensionem illam esse dicebat: qua e similitudine etiam nomen ei rei, quod ante non fuerat, καταληψιν imposuit.* Ibid. L. IV. n. 145. Epicurus contra hoc verbum respuebat: *quoniam ex uno Epicuri capite comprehensio, et perceptio tollitur.* Ibid. n. 101. Quocirca ita locum Philodemi vertimus, ut Epicuri adseclae conveniat. Si enim Stoici *per comprehensionem dicebant habens id, quod facit* (nemo enim comprehendi potest aliquid facere, nisi contineat, seu habeat saltem *eminenter*, ut Scholae loquuntur, ipsum effectum); Epicurei in alia omnia abibant, et huiusmodi loquutionem prorsus reiiciebant.

Lin. 15. et seqq. κατα συναυξησιν κ. λ.). Apud Pol. l. 6. 3. et in Glossariis haec vox occurrit. Nos vero paulum recedentes ab his, qui eam vertunt *coaustionem*, potius *amplificationem* reddimus. Illud enim

Ciceronis nos movet: *pars orationis .... in augendis amplificandisque verbis a Graecis* αὔξησις *est nominata.* Orat. n. 125. Certe quidem αὔξησις, et συναύξησις eodem recidunt. Porro quomodo *amplificatio verborum genere conficiatur*, et quaenam *verba augeant*, docuit idem Tullius *Orat. Partit.* n. 52. et seqq. Fortasse Rhetores, Sophistae, Stoici, ubi duae partes erant inaequales, maiorem *amplificando* maximam dicebant: quae loquutio Epicureis minime placuit.

Lin. 17. et seq. παρα τους αλλους κ. λ.). Tres sententias Epicureorum Scholae adprime congruentes heic partim legimus, partim supplevimus. Prima est, quod prae *aliis Philosophis* odio hominum, et insectationibus subiicerentur: cuius facti vadem damus Ciceronem *De Fin.* L. I. n. 13. Vide etiam Gassendum, qui sit licet propensa in Epicurum voluntate, id tamen negare non audet, et plurimis probat Scriptorum testimoniis. *De Phil. Epic.* T. I. p. 403. 404. T. II. p. 81. et seqq. *Lugd.* 1675. Altera, quod vi urgerent Adversarios, videlicet iniuriis, aut valido argumentorum impetu: utrumque enim βια significat apud Oratores, et Poëtas, uti notant Glossaria, in quibus etiam reperies το βιαν ποιειν, *vim facere.* Constat enim Epicureos contumeliis fuisse lacessitos, uti impios, porcos, hominum consortio indignos, eorumque doctrinam acerrimis omnium disputationibus fuisse protritam. Gassend. l. c. T. I. p. 360. et seqq.; ac propterea ipsos cum suis Adversariis *contumeliose* disputasse, uti nuper innuimus *Adnot.* in *Col.* I. p. 30. Tertia, quod Stoicorum translatos dicendi modos, quos Philodemus vocat *importunas translationes* effugerent: idque satis eruitur ex Artis Rhetoricae contemtu, quem palam profitebantur. Vide *Hercul. Volum.* T. IV. Praefat. in Phil. pag. II. Novimus utique Epicurum *ornamenta dicendi neglexisse*, eiusque adseclas *neglexisse litteras*, atque *ad dicendum minime aptos fuisse.* Cic. *De Fin.* L. I. n. 14. *In L. Pisonem* n. 70. *Brut.* n. 131. Quod vero in αυτογραφω legamus βιαν pro βια, facile nobis indulgebit, qui dormitantium librariorum negligentiam novit.

Quaeret fortasse quispiam, quonam pacto ima haec pagellae ora cum superiore cohaereat? Ad conieeturas confugiendum est, ubi lacuna satis prolixa integrum sermonis contextum nobis invidit. Arbitramur itaque Philodemum in ipsa memorasse Magistri sui doctrinam de *quasi corpore, et quasi sanguine Deorum*, ut disputationem de eorum membris iam susceptam prosequeretur: deinde transiisse ad excusandam huiusmodi loquutionem adlato Adversariorum exemplo, qui verba prorsus nova excudebant, et metaphoras importunas, ab Epicureis reiectas, passim adhibere consueverant.



COL. IV

G. B. Casanova dis. G. Casanova inc.

COLUMNA IV.

. . . . Ουδε γαρ τεθνηκεν ἡττον δυσδαιμων, παρ' όσον ούτως εχει προς τα τοιαυτα· παρ' όσον δ' ενια προγνωσιν αυτου διαφευγει, ταλαιπωτατη αδηλοτητι, και κακιστη ανια ετελευτησεν.

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . . . . και παν στομα αει χρησμωδον αυτοις γινοιτ' αν δια της γνωσεως ταυτης· όσα γαρ απο τερατικων δηλωσεων ανευ μαντικης Φυει (τα δε λοιπα τις χρεια

CAP. XIV. Argumentum ad Divinationem tollendam.

. . . . Non enim mortuus est minus infelix, quatenus ita se habet ad hujusmodi praedictiones; quatenus vero aliqua eius praescientiam fugiunt, miserrimo infortunio, et pessima *tristitia oppetiit Hercules.*

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . et quodvis os semper fatidicum eis fiet propter hanc cognitionem: quaecumque enim a prodigiosis significationibus sine divinatione eduntur (caetera enim quid prodest


ADNOTATIONES.

Lin. 1. Ουδε γαρ κ. λ.). De quonam loquatur, haec αυτογραφον lacinia non exhibet: nos Herculem supplemus, cuius fabulam Philodemi sententia indicare videtur. Is enim miseram et tristissimam mortem oppetiit, quia ignoravit tunicam sibi a Deianira missam venenato Centauri sanguine fuisse infectam; fatale enim donum libentissime adcepit, cuius damna *praescientiam eius effugiebant.* Vide Sophocl. *Trachin.* v. 541-1010. Diodor. *Biblioth.* L. IV. c. 38. Apollod. *Biblioth.* L. II. c. 7. *Neque enim minus infelix mortuus est, in quantum ita se habuit ad huiusmodi vaticinationes*, ut oraculum consulere voluerit, ab eoque responsum adceperit, ut in Oetam montem se conferret, ibique moreretur. Vide Diodorum *Biblioth.* L. IV. c. 38. Quo ex argumento Philodemus duo facile consequentia eruere conabatur; alterum Divinationem vel ipsis Semideis nullam adtulisse utilitatem, neque eos inde aliquam haurire potuisse rerum futurarum praedictionem, ut miserrimae se subducerent morti: alterum, eosdem Heroas futura ad se pertinentia nulla arte expiscari potuisse. Et sane quomodo homunciones futura praescire divinando poterunt, si Hercules, tantus Iovis filius, ipsa ignoravit; immo si Dii ipsi eadem ignorasse nonnullis Philosophis videbantur? Profecto Tullius haec sibi de Divinatione discutienda proponit: *si sunt Dii, neque ante declarant hominibus, quae futura sint; aut non diligunt homines: aut quid eventurum sit, ignorant: aut existimant nihil interesse hominum scire, quid sit futurum: aut non censent esse suae maiestatis, praesignificare hominibus, quae sint futura: aut ea ne ipsi quidem Dii significare possunt.* Cic. *De Divinatione* L. II. n. 101. . . . . . Subiungit porro, *nihil Deos ignorare, quod omnia sint ab iis constituta. Hic vero quanta pugna est doctissimorum hominum, negantium esse haec a Diis immortalibus constituta?* Ibid. n. 105.

Lin. 14. et seqq. και παν στομα κ. λ.). Naturalem Divinationem memorat heic fortasse Philodemus. Eam porro non esse arbitramur, quam Tullius memorat. *Duo*, inquit, *genera divinandi esse dicebant Stoici, unum artificiosum, alterum naturale; artificiosum constare partim ex coniectura, partim ex observatione diuturna; naturale, quod animus adriperet, aut exciperet extrinsecus ex Divinitate.* Cic. *de Divin.* L. II. n. 26. *Restant duo divinandi genera, quod habere dicimur a natura, non ab arte; vaticinandi, et somniandi. Ibid.* n. 100. Divinationem heic Philodemus innuit eo sensu naturalem, quo naturalibus significationibus observatis *quodvis os semper fatidicum hominibus fiet propter hanc cognitionem*: sic ex. gr. flante Austro praedicitur pluvia, ex illo Graecorum adagio: μη νοσφι νοτιδος νοτος. Plurimis huius generis praedictionibus scatet Hesiodi liber Εργα και Ημεραι, quas Noster indicare videtur.

Lin. 16. et seq. απο τερατικων δειξεων κ. λ.). Quid sibi velint *prodigiosae significationes, quae sine divinatione aduntur*, possumus elicere ex Polystrati libro, quem nuper edidimus, et quem contra Divinationem terroremque inde incussum multa continere animadvertimus. Ibi enim σημεια και τερατα a brutis animantibus minime observari dicit: homines tamen ab istis significationes rerum adtendere, quae naturae cursui omnino adscribendae sunt. Vide *Adnot.* in Fragm. 6. Col. II. Quapropter non improbat τερατικας δειξεις, quas non divinantes, sed φυσιολογησαντες ορθως elicimus. *Adnot.* in Col. VI. lin. 9. et seqq. Ipsas admittere videtur Epicurus, qui Pythocli scribens ait: αἱ δε επισημασιαι, αἱ γενομεναι επι τισι ζωοις, κατα συγκυρημα γινονται του καιρου. Ου γαρ τα ζωα αναγκην τινα προσφερεται του αποτελεσθηναι χειμωνα· ουδε καθηται τις θεια φυσις παρατηρουσα τας των ζωων τουτων εξοδους, κἀπειτα τας επισημασιας ταυτας αποτελει. *Significationes, quae super quibusdam animalibus sunt, per tempestatis anni contingentiam eveniunt. Non enim animalia necessitatem aliquam invehunt*, quum post autumnum abeunt, *ut hiems fiat; neque sedet aliqua natura Divina, quae horum animalium observet exitus, ac deinde huiusmodi significationes efficiat.* Laërt. L. X. segm. 115. Itaque significationes huiuscemodi, quae ab animalibus, a ventis, a pluviis, et a caeteris meteoris *sine divinatione*, sed per physiologiam agnoscuntur, facilem praedictionibus viam sternunt, neque ab Epicureis respuuntur; quod et evidentius patebit, si totas ad Herodotum, et Pythoclen scriptas ab Epicuro epistolas percurrere non piget.

Lin. 17. τα δε λοιπα τις χρεια ουχ ὑπολαμβανειν). Haec ita legimus, Tullium prae oculis habentes, cuius haec sunt verba: *at nostra interest scire ea, quae eventura sint. Magnus Dicaearchi liber est, nescire ea melius esse, quam scire. Ibid* n. 105. Consule Harlesium in Fabricii *Bibl. Graec.* L. III. c. 8. Videtur Dicaearchi sententiam sequi Philodemus.



G. B. Casanova del. *G. Casanova inc.*

COLUMNA V.

ουχ ὑ[illegible] ;) . . . .

. . . .

μηδεν βλαβερον πασχειν. Λεκτεον δ' οὕτως, ὡς προτερον οιπαμεν λεγεσθαι, ταυτα δια διαδοχην ανθρωπων χωραν μαλιστα εχειν . . . .

. . . .

. . . . ουδ' οἱ μεν ελλειπουσιν, οἱ δ' ευβιουσιν, αλλα παντες, και πασαι την απειρον βιου μακροτητ' εχουσιν· ουδ' εν μεν σοφια, ουδε κατα το κρειττον εν τοις της ψυχης αγαθοις διαγουσιν ὁλοις, εν δε ταις αφθαρτοις ἡδοναις

non esse occulta?) *facile praedicuntur*. . . . .

CAP. XV. Nihil noxium patiuntur Dii.

. . . .

nihil noxium pati. Dicendum est autem eo modo, ut superius dici adfirmavimus, haec propter successionem hominum locum praecipue *habere* . . . .

. . . .

. . . . . neque alii quidem *Dii* deficiunt, alii vero vigescunt; sed omnes *Dii*, omnesque *Deae* infinitam vitae diuturnitatem habent: neque in sapientiae studio, neque in perficiendis universis animi bonis distinentur, sed in voluptatibus incorruptilibus *versantur*.

Lin. 29. μηδει βλαβερον πασχειν). Ad Deos haec verba pertinere autumamus, quorum natura, inquit Lucretius,

Est privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri.


De Rer. Nat. L. I. v. 60.
Nihil acrius defendendum Epicurus statuerat, quam absolutam Deorum beatitudinem: ac propterea Menoeceo illud inculcaverat: παν το φυλαττειν Θεου δυναμενον την μετ' αφθαρσιας μακαριοτητα περι αυτον δοξαζε· *quidquid Dei cum immortalitate beatitudinem servare potest, de ipso opinare.* Laërt. L. X. segm. 123. Imbutus hisce dogmatis *Deos nihil noxium pati* adfirmat Philodemus.

Lin. 31. δια διαδοχην ανθρωπων). Ita litterulas supplendo legimus; ea enim, quae noxia hominibus obveniunt, propter eorum *successionem* fiunt, videlicet ut generationi praetereunti altera succedat. Perversa mente id discipulis suggerebat Epicurus, ut eos nimirum ad mortis contemtum induceret, quippe qui animum hominis esse mortalem, irrito conatu, suadere nitebatur. Vide Laërt. L. X. segm. 124. Sext. Emp. *Hypot.* L. III. segm. 24. Stob. *Serm. de Morte.* A. Gell. Noct. Act. L. II. c. 8. Ob huiusmodi *successionem* illud fieri Lucretius adfirmat, ut homo *noxia*, mortemque ab his illatam vitare nequeat:

Certa quidem finis vitae mortalibus adstat,
Nec devitari letum pote, quin obeamus.

Lib. III. v. 1091.
At sanctissima mente id ipsum nobis proponit Salomon: *generatio praeterit et generatio advenit. Eccl.* I. 4; ut nimirum mortalium animos a rerum *praetereuntium* amore avocet, atque ad expectandam beatitudinem perpetuo mansuram excitet. Haec verba D. Gregorius Thaumaturgus suis commentariis illustrans, *quid est*, inquit, *quod homines super terram reptantes, tanto corporum animorumque molimine parturiunt? Quid est vanius*, adposite subiicit D. Hieronymus, *hac vanitate, ut aliis morientibus nascantur alii, et homo nunquam permaneat?* Ex quibus merito illud infert S. Gregorius Magnus: *haec est instabilis vitae istius permutatio, ut decedentibus aliis, alii succedant; quibus postmodum simili modo deficientibus, alii non inaequali conditione oriantur. In Psalm.* V. Quod si litterulae a nobis interpositae interstitioli mensuram excedere videantur; id nullum ingerat lectionis dubium. Solet enim in hoc volumine librarius elementa admodum exigua grandioribus intermiscere, uti identidem factitatum αυτογραφον probat. Caeterum si quis pro δια διαδοχην legat δι' ιxδοχην, interpretetur *propter susceptionem;* videlicet propter hominum naturam, quae noxia et exitialia potest *excipere*, dum natura Divina iis subiici nequaquam potest.

Lin. 39. et seqq. ουδ' οἱ μεν ελλειπουσιν κ. λ.). Quod de Diis in hoc commate agatur, liquido patet ex vocibus παντες, και πασαι. Sollemne enim erat Graecis, ut his nominibus *Deos*, *Deasque omnes* indigitarent. Ita Demosthenes: Θεοις ευχομαι πασι, και πασαις. *Pro Corona* n. 1. Quod autem ait: ουδ' οἱ μεν ελλειπουσιν, οἱ δ' εμβιουσιν, refellit Stoicorum deliria, qui quosdam Deos semper viventes, alios vero morti obnoxios esse censebant. V. supra *Adnot. in Fragm.* Tab. IV. p. 14.



F. B. Casanova dis. L. Corazza inc.

COLUMNA VI.

ει̂ . . σονται ιν. Μαλιστα δε περι του σωματος γραπτεον, και διατηρητεον ιδιa παντος αιμα αυτων ου παντα ουδεν παν συμπτωμα, κατα τον Μητροδωρον, εμφανιζειν ον τοιουτο, ως υπδεποτ' εγκυρησον αιτιοις φθοριας της ψυχης. Φασι δε, Ουυ, απο της δε γινεσθαι παν ολως βουλημα, παν και ιστιου, και ποιησ . . ορμημα . . . .

. . . .

. . . . εχοντων, αμοιβας δε των πασων συλληψεων, δια τα μεν ελλειπουσας ειναι, τα διαμενουσων, αλλ' ουχ ότι ακουσιως. Οθεν επι τε τω μετελεως, απο χολης, απαντ' αποδικαζειν, και επι τω σπουδαζειν καθ' ημεραις, Φανερας συντελειν πασας αρετας

CAP. XVI. Quid de corpore, et sanguine Deorum sentiat Auctor.

beautur. ¶ Praesertim vero de corpore *Deorum* illud scribendum, ac tenendum est semper, sanguinem eorum non omnino omnem adfectionem, ex Metrodori sententia, prodere talem esse, *qualis in nobis est;* utpote qui nunquam incurret in caussas, quae corrumpendi animam vim habeant. Aiunt vero, papae! ab ista fieri omnem omnino voluntatem, et omnem ad res tum sciendas, tum agendas conatum.

. . . .

CAP. XVII. In qua re se exerceant Dii.

. . . . ¶ habentium, vicissitudines vero omnium gaudiorum, quia aliqua deficiunt, aliqua permanent; sed hae vicissitudines non fiunt invite. Quapropter in eo quod misericorditer, procul ira, omnia crimina absolvat, et in eo quod per suam tranquillitatem placetur; in perficienda omnium virtutum manifestatione

Lin. 1. ευδαιμονουσιν). Ad periodi integritatem verbum supplevimus, duce Velleio, qui ita loquebatur: *Et quaerere a nobis, Balbe, soletis, quae vita Deorum sit, quaeque ab iis degatur aetas? Ea videlicet, qua nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus adfluentius cogitari potest. Nihil enim agit; nullis occupationibus est implicatus; nulla opera molitur; sua sapientia, et virtute gaudet; habet exploratum fore se semper cum in maximis, tum in aeternis voluptatibus. Hunc Deum rite beatum dixerimus; vestrum vero laboriosissimum. Sive enim Deus ipse Mundus est: quid potest esse minus quietum, quam nullo puncto temporis intermisso versari circum axem coeli admirabili celeritate? Nisi quietum autem, nihil beatum est. Sive in ipso mundo Deus inest aliquis, qui regat, qui gubernet, qui cursus astrorum, mutationes temporum, rerum vicissitudines, ordinesque conservet, terras, et maria contemplans, hominum commoda, vitasque tueatur: nae ille est implicatus molestis negotiis, et operosis. Nos autem beatam vitam in animi securitate, et in omni vacatione munerum ponimus.* Cic. *De Natura Deorum.* L. I. n. 51. et seqq.

Lin. 3. πανταχοθεν κ. λ.). Facile lectionis ratio patebit, si de sanguine Deorum quid Epicurei censuerint, non lateat. Eum enim non esse proprie sanguinem, sed quasi sanguinem autumabant. Repetamus verba, quae superius p. 10. id perspicue adserentia indicavimus: *Nec tamen ea species corpus est, sed quasi corpus: nec habet sanguinem, sed quasi sanguinem. Haec quamquam et inventa sunt acutius, et dicta subtilius ab Epicuro, quam ut quivis ea possit agnoscere: tamen fretus intelligentia vestra dissero brevius, quam causa desiderat. Epicurus autem, qui res occultas, et penitus abditas non modo viderit animo, sed etiam sic tractet, ut manu, docet eam esse vim, et naturam Deorum, ut primum non sensu, sed mente cernatur: nec soliditate quadam, nec ad numerum, ut ea, quae ille propter firmitatem στερεμνια adpellat, sed imaginibus, similitudine, et transitione perceptis: quum infinita simillimarum imaginum species ex innumerabilibus individuis existat, et ad Deos affluat, cum maximis voluptatibus in eas imagines mentem intentam, infixamque nostram intelligentiam capere, quae sit et beata natura, et aeterna.* Cic. *De Nat. Deorum* L. I. n. 49. Quum itaque Deorum sanguis non eiusdem prorsus naturae, ac sanguis animantium, ex Philodemi placito sit; exhibere non debet παν συμπτωμα, neque εγχωρησιν αυτοις φθοριοις, quae animantium sanguini obveniunt. Porro Metrodorus, quem citat Noster, huius sententiae, cuius fortasse in Epicuri scriptis prima tantum rudimenta reperiebantur, explanator fuerat. Urgebantur enim Epicurei ab Stoicis, caeterisque Philosophis: propterea ne gravium argumentorum pondere opprimerentur, varia commenta effingebant, quibus futiles Magistri sui doctrinas tuerentur. Metrodorus itaque, ut corpoream Diis naturam adfingeret, eosque a materiae incommodis aliqua ex parte liberaret; ipsis tum *quasi corpus*, tum *quasi sanguinem* adtribuit. Erat enim ille Lampsacenus inter Epicuri adseclas *pene alter Epicurus*, ut ait Cicero *De Finibus* L. II. n. 28. et patiebatur se ab ipso Epicuro *Sapientem adpellari. Ibid.* n. 3. Eius opera, non minus ac Epicuri, a Philodemo perlegebantur; siquidem *Epicurum*, et *Metrodorum non fere praeter suos quisquam in manus sumit.* Idem *Quaest. Tuscul.* L. II. n. 3.

Lin. 5. ὡς μηδεποτε κ. λ.). Haec verba ab iis intelligentur, qui impiam Epicuri doctrinam de animi corruptione non ignorant. Is enim animam ex tenuissimis corporis, perinde ac sanguinis, particulis esse compositam, et cum ipso sanguine dissolvi, atque evanescere impudenter dictitabat. Ἡ ψυχη σωμα εστι λεπτομερες, παρ' ὁλον το αθροισμα παρεσπαρμενον· *anima est corpus tenuibus constans partibus, per totam congregationem disseminatum.* Laërt. L. X. segm. 65. Inde illud deducit: λυομενου του ὁλου αθροισματος, ἡ ψυχη διασπειρεται· *soluta tota congregatione, anima dispergitur. Ibid.* segm. 65. Concinit Lucretius, qui L. III. a vers. 178. ad 202. docet animum corporeum e seminibus minutissimis, tenuissimis, et maxime rotundis componi:

Is tibi nunc animus quali sit corpore, et unde
Constiterit, pergam rationem reddere dictis etc.

Deinde a vers. 202 ad 232 docet has partes, si rem ipsam spectemus, constare calore, vento, seu vapore, et aëre; et alia insuper re, quae ex subtilissimis, exilissimis, et maxime mobilibus seminibus exsistens, est *Sensus* principium, et origo. Quo vero modo calor, ventus, aër, et quarta illa res non nominata misceantur, explicare se non posse liquido fatetur:

Nunc igitur, quoniam est animi natura reperta
Mobilis egregie etc.

Quae quum ita se habeant, facili negotio intelligitur, quare Philodemus constituat Deorum *sanguinem numquam incurrere in eas causas, quae in animantibus corrumpendi animam vim habent.*


Lin. 6. Φασι δε, φω, κ. λ.). Quum Epicurus animi sensus, atque adfectiones a corpore potius, quam ab anima pendere adfirmaverit; licere sibi, Philodemus arbitrabatur, irridere eos, qui contrariam sequebantur sententiam. Suam hac de re doctrinam fuse explicat Epicurus in Epistola ad Herodotum, ubi inter caetera illud scribit: εχει ἡ ψυχη της αισθησεως την πλειστην αιτιαν. Ου μην ειληφει αν ταυτην, ει μη ὑπο του λοιπου αθροισματος εστεγαζετο πως· το δε λοιπον αθροισμα παρασκευαζει εκεινη την αιτιαν ταυτην κ. λ. *Habet anima plurimam sensus causam. Non tamen istam accepisset, nisi a reliqua congregatione quodammodo tegeretur: porro reliqua congregatio hanc illi paravit causam etc.* Laërt. L. X. segm. 63.

et seq. Quod autem suppletum cernis, και ποιητεου ὁρμημα, non temere factum arbitramur; quandoquidem voces ὁρμη, et ὁρμημα Epicuro, eiusque adseclis mirifice placebant: praeterea animae operationes, immo ipsa Philosophia, quae eas dirigit, perficitque, περι ιστεου, και ποιητεου, *de eo quod sciendum, et de eo quod agendum est* (in θεωρητικην enim, et πρακτικην haec dividi solebat), disserebant. Vide Sextum Empiricum *Adversus Mathemat.* L. VII. segm. 3. et seqq.

Lin. 30. εχοντων). Ad Deos referas hoc participium, qui ουδεν πραγμα, και ουδεμιαν λυπην, *nullum negotium, et nullum dolorem habent.* Confer Laërt. L. X. segm. 139. et Cic. *de Nat. Deorum* L. I. n. 101. et seqq.

Lin. 34. μετελεως). Insere hoc adverbium Lexicis, ut opponatur τῳ νηλεως, quod in eis occurrit, et *crudeliter* vertitur.

Ibid. απο χολης). Οʹ Θεος οργαις ου συνεχεται, *Deus ira non tangitur*, inquit Epicurus *in Ratis Sententiis* Laërt. L. X. segm. 139. Huc referas Philodemi loquutionem, in qua απο verti potest *sine*, uti in Graecis Scriptoribus απο των ὁπλων, *sine armis*, απ' ομματων, *sine oculis*, απ' ανδρος, *sine viro.* Nos autem απο χολης interpretati sumus *procul ab ira*; quia frequentius exempla occurrunt, in quibus απ' ελπιδος, *procul a spe*, απο γνωμης, *longe ab animi sententia* explicatur.



G. B. Casanova dis. *L. Corazza inc.*

COLUMNA VII.

μετα . . . ασφαλειας ασ . . . . μεγι . . αν
. . . την ατελειαν ευδαιμον . . . , η
τον . . . ὑφ' ἑαυτον εχ . . και δυνηται
συμφεροντως ἑαυτω διοικειν· και δια του-
το μεντοι τυγχανη παντ . ν, ὡν βουλε-
ται. Διο τ . . . . φυσει μαχομενων, ου-
δενος α . . . βουλησιν, ουτ' ορεξιν εχει
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
της δ' ορεξ . . . των αφισταμεν . . βιο-
του μ . . . . . . εσται. Τοις δε Θε . . ουδεν
αγαθον περι, π . . , δια των τοιουτων· και γαρ χωρις αυ-
των ἁπαντ' εχουσιν εν εξουσια, παρ' η τα προς αυτους.
Ουδ' ἡμεις μεντοι κα . . ἑκαστον ἡμιν αδυνατον
ελλειπομεν, ὡσπερ . δε παρ' ὁσον απο Δευκαλι-
ωνος ὁσα κυματα τω σ . φιω προσε . ομενα δυνα-
. . . γνωναι. Βλε . . δε του . . ς ουδε μαχε-
. . . ο λεγ . . . , . . . ο Θεος ποιειν τ . , και το-
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . . ει και ἀ . . . . δυ-
νατο, την δυνα . . . . ως και του παντ .
ποιησαι σοφους, . . μακαριους, και . δεν κακον· το
δε τοιουτον ασθενειαν, και τιν' ελλειψιν συναπτει
τω Κρατιστω. Πολλακις δε αυτοι επανατροπην
της νοησεως του Θεου συγχωρουσι, καθαπερ ὁ
. . . Χρυσιππος εν τοις περι Μαντικης λεγει μη δυ-
. . . . τον Θεον ειδεν ἁπ . . α, δια το μηδ' εχειν.

in securitate sese exerceat; praesertim quum huiusmodi privilegium felicitati comparandae opportunum, seu legem, in sua potestate habeat, possitque eam, prout utile est, sibi administrare; ac propterea quaecumque voluerit, adsequatur. Quare quum haec secum invicem natura sua minime repugnent; neque vult, neque desiderat aliquid *Deus*

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

desiderio autem horum absistente, magnum vitae bonum aderit. Diis vero nullum bonum circa, ad, per huiusmodi res; etenim sine iis omnia habent in sua potestate, quatenus haec ad ipsos pertinent. Porro neque nos in singulis, quae a nobis haberi nequeunt, defectum patimur; uti nec in quantum a Deucalione, quot fluctus naviculam insectati fuerint, possumus discere. ¶ Vide autem istos adserentes neque illud repugnare, quod *scilicet* et Deus, qui omnia facere, et noscere potest, *et Fato subiiciatur.*

CAP. XVII. Dei et potestatem imminuunt, et notionem evertunt Stoici.

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

. . . etsi *Deus Fortissimus* omnia posset; potestatem tamen non habet omnino tum faciendi cunctos sapientes, et felices, tum *faciendi*, ut nullum sit malum: id autem infirmitatem, et defectum quemdam tribuit Fortissimo. Saepe autem eversionem notionis Dei admittunt, quemadmodum vir ille excellentissimus Chrysippus in Libris de Divinatione dicit Deum non posse omnia scire, quia nec omnia habet.

ADNOTATIONES.

Lin. 1. μετα της ασφαλειας ασκειται). Huius lectionis, praeter residua elementa, et contextum, nobis solidum praebet etiam argumentum Epicureae doctrinae defensio, quam prosequitur Philodemus. Haec enim *beatam vitam in animi securitate, et in omni vacatione munerum ponebat*, quod modo didicimus a Cic. *De Nat. Deor.* L. I. n. 52. Contra vero instantes Stoici iure, meritoque animadvertebant Deos, si istiusmodi doctrina falsa non foret, omni prorsus exercitatione carere; ac propterea eorum virtutes nusquam exercitas, nusquam fieri manifestas. Huius argumentationis testimonium habemus luculentissimum apud eumdem: *nihil habet (Deus), inquit (Epicurus), negotii. Profecto Epicurus, quasi pueri delicati, nihil cessatione melius existimat. At ipsi tamen pueri, etiam cum cessant, exercitatione aliqua ludicra delectantur: Deum sic feriatum volumus cessatione torpere, ut, si se commoverit, vereamur, ne beatus esse non possit. Haec oratio non modo deos spoliat motu, et actione divina, sed etiam homines inertes efficit; si quidem agens aliquid, ne deus quidem esse beatus potest. Ibid.* n. 103. Ut itaque aliquod sibi effugium patefacerent, Epicurei respondebant Deos in sua vacatione quoddam veluti exercitium nancisci; videlicet *in perficienda omnium virtutum manifestatione cum securitate sese exercebant.* Primus fortasse scriptor, penes quem ridiculum istud effugium reperiatur, Noster est, quem facile refutaremus, nisi iam pridem apud Tullium sollemne illud adversus Epicureos extaret: *hoc persaepe facitis, ut quum aliquid non verisimile dicatis, et effugere reprehensionem velitis, efferatis aliquid, quod omnino ne fieri quidem possit: ut satius fuerit illud ipsum, de quo ambigebatur, concedere, quam tam impudenter resistere .... Mirabile videtur, quod non rideat haruspex, quum haruspicem viderit. Hoc mirabilius, quod vos inter vos risum tenere possitis. Non est corpus, sed quasi corpus. Ibid.* Cap. XXV. et seq. Denique si την ασφαλειαν, trium elementorum ductu, supplevimus; id ausi sumus, quod την ασφαλειαν κατασκευαζεσθαι, atque την ασφαλειαν γινεσθαι ad felicitatem pertinere docuerit Epicurus in *Ratis Sententiis.* Laërt. L. X. segm. 143. et 148.

Lin. 3. τον νομον). Ita legas, nisi mavis το νομιμον, quod perinde erit. Requiritur enim verbum, quod praecedenti ατελεια respondeat; haec autem *immunitatem*, sive *privilegium* significat. Sane si Epicureorum Numinum felicitatem nolles vocare eorum *privilegium*, seu *immunitatem* a malis, quibus caetera animantia subiiciuntur; certe quidem eorum *legem* dixeris. Epicureis enim *lex ad utilitatem*, non *ad iustitiam* pertinebat: atque εαν νομοθετηται τι, *utile*, non vero *iustum* perspiciebatur. Diog. L. X. segm 152. Utile autem Diis erat, ut suprema felicitate fruerentur, quae hominibus nusquam posset contingere. Recensetur enim inter Epicuri placita illud: την ευδαιμονιαν διχη νοεισθαι, την τε ακροτατην, οια εστι περι τον Θεον, επιτασιν ουκ εχουσαν· και την ανθρωπινην, εχουσαν προσθηκην και αφαιρεσιν ηδονων. *Felicitatem bifariam intelligi; supremam illam, quae in Deo est, quae incrementum non admittat; et humanam, quae et adiectionem habeat et ablationem voluptatum.* Laërt. L. X. segm. 121.

Lin. 6. et seq. ουδεις ουτε βουλησιν κ. λ.). Quid de cupiditatibus docuerit Epicurus, nuper innuimus, Adnot. ad Fragm. Tab. VI. pag. 26. Ibi nimirum legimus cupiditatum imminutione nobis curandum esse, ut ad felicitatem perveniamus; illas praesertim esse amovendas, quae naturales non sunt. Id autem supplendae lacunae facem praebere videtur. Quum enim Deum dixerit nulla cupiditate inflammari, adeoque minime torqueri; transit ad spectandam hominum naturam, quae hoc bono caret, et cupiditatibus rerum tum naturalium, tum non naturalium cruciatur: *desiderio* autem *horum absistente, magnum vitae bonum aderit.*

Lin. 20. et seq. απο Δευκαλιωνος). Vertimus *per Deucalionem*, ne Grammatistarum iram concitaremus, qui παρα prae απο cum rebus animatis fere coniungendam docent, ubi *a* significat. Quum vero απο *per* redditur, non modo Poëtae, sed Xenophon etiam, Plutarchus, aliique prorsae orationis Scriptores cum huiusmodi rebus eam praepositionem passim copulant, uti probant exempla a Lexicographis collecta. Porro Philodemus, ut ostenderet quaedam esse, quorum notitia nullam prorsus adfert utilitatem, hoc in medio ponit: nihil nimirum nostra interesse, si *per Deucalionem noscere possimus, quot fluctus eius naviculam insectati fuerint.* At vero in eo errat, quod ab hominibus ad Deum temere transit: Dei enim est omnia nosse.

Lin. 21. τω σκαφιω). Spatiolo, et sensui nullum invenimus verbum magis adcommodatum. Ultro fatemur a Graecia Scriptoribus potius *arcam*, quam *naviculam* adpellari eam, qua Deucalion, et Pyrrha servati sunt. Nam Lucianus memorat λαρνακα μιαν, *De Salt.* n. 39. et λαρνακα μεγαλην, *Syntagm. de Dea Syr.* n. 12. Apud Plutarchum εκ της λαρνακος emissa dicitur Deucalionis columba. *De Sollert. Anim.* T. II. p. 968. *Paris.* 1624. Stephanus pariter Deucalionis λαρνακα in Parnasso resedisse tradit. *V.* Παρνασσος. Apollodoro Deucalion dicitur εν τη λαρνακι δια της θαλασσης φερομενος. *Bibl.* L. I. c. 7. Nonnus denique hac ipsa utitur voce, *Dionys.* L. III. v. 206. Pindarus de hac fabula agit, sed nec nomen *arcae*, nec aliud ponit, *Olymp.* Od. IX. v. 65. et seq. Quod autem Κιβωτος fuerit etiam dicta, quae λαρναξ passim adpellabatur, quodque eius effigies in vetustis conspiciatur nummis; fuse demonstravit Octavius Falconerius in Dissert. *de Nummo Apamensi. Romae* 1668. At vero nullus dubito ipsam λαρνακα, etiam σκαφιον, aut aliud συνωνυμον fuisse dictam; siquidem Latini Scriptores, qui nomina a Graecis mutuabantur, *parvam ratem*, et *navigium* nuncuparunt. Audiatur Ovidius:

ADNOTATIONES.

Hic ubi Deucalion (nam caetera texerat aequor)
Cum consorte tori parva rate vectus adhaesit,
Corycidas Nymphas, et numina montis adorat.
Metamorph. L. I. Fab. VIII. v. 79. et seqq.

Adde Iuvenalem :


Ex quo Deucalion nimbis tollentibus aequor,
Navigio montem ascendit, sortesque poposcit
Paullatimque anima caluerunt mollia saxa.
Sat. I. v. 81. et seqq.

Habes denique Iustini testimonium, quod aliqua ex parte nostrae favet lectioni: *superfuerunt, quos refugia montium receperunt, aut ad Regem Thessaliae Deucalionem ratibus evecti sunt; a quo propterea genus hominum conditum dicitur. Hist.* L. II. c. 6. Hyginum non moramur, qui in referenda hac fabula, neque *arcam*, neque *ratem* memorat. *Fab.* CLIII. Si tamen e Graecis Scriptoribus aliquod sententiae nostrae columen adripere velimus, extat Eusebii locus, quo ex Abydeni verbis Noëticum Diluvium anilibus fabulis foedatum narratur, atque το πλοιον, *navigium ad Armeniam appulsum* memoriae proditur. *Praeparat. Evang.* L. IX. c. 12.

Lin. 22. βλεπε δε κ. λ.). Fati Stoici ea vis est, ut *fatalia praeter Dei, et hominum voluntatem cuiusdam ordinis necessitate contingant.* §. Aug. *De Civ. Dei* L. V. c. 1. et 8. et seq.: ac propterea non modo liberum hominis arbitrium, sed Dei etiam praescientiam, libertatem, ac providentiam pessumdet. Huiusmodi autem delirium, quanta sophismatum farragine adseclis suis obtruserit Chrysippus, docent Laërtius L. VII. segm. 149. Plutarchus *De Placitis Philosophorum* L. I. c. 27. et L. *De Fato.* Plotinus *Ennead.* III. L. I. Cicer. Lib. *De Fato* cap. 144. et 147. Iam porro si plurima absurda, quae inde exoriuntur, Eusebius *Praepar. Evang.* L. VI. c. 7. et Alexander Aphrodiseus in Lib. *De Foto*, et in L. I. *Quaest. Natural.* c. 4. recensuerunt; minime negligendum est illud, ad quod Philodemi verba, per lacunam abrupta, referenda autumamus. Stoicos enim notat, non animadvertisse *repugnantiam* inter duas hasce θεσεις· *Deus cuncta facere potest, et Deus Fato subiicitur.* Fortasse in lacuna Fati notionem explicat, ex qua alterum Stoicorum errorem deducit, ut nequeat Deus *cunctos homines facere sapientes, et felices, et omne malum averruncare.* Ita sane sermo, immani hiatu interceptus, recte procedere videbitur.

Lin. 33. et seqq. επαναστροφην, κ. λ.). Quae contra Chrysippum, uti Numinis hostem, scripserat Baylius, *Dictionn. historiqu. art. Chrysippe*, pag. 170. et seq. *Amst.* 1730., et luculentissimis historiae testimoniis probaverat, mirifice per hunc Philodemi locum confirmantur. Propterea eius defensio a Lipsio *in Manuduct. ad Stoic. Philosoph.* L. I. Dissert. X. et a Bruchero *Hist. Philos.* L. II. part. 2. cap. 11. sect. 2. haud temere oppugnatur. Qui enim *Deum neque omnia scire, neque omnia habere* censebat, is utique Dei ipsius *notionem* evertit, atque inter Numinis hostes recensendus est. Vide Meursium *ad Chalcid.* pag. 51. et in *Biblioth. Graec.* art. *Chrysipp.* Ionsium *Hist. Philos.* L. II. c. 8. Stanleium *Hist. Philos.* part. VII. pag. 651. Quod autem re vera is *Deum non omnia habere* adfirmaverit, atque idcirco impietatis nota inustus fuerit, testatur etiam Plutarchus: Κρυσιππος εν δις παρεθεμην, αυταρκη μονον ειναι τον κοσμον φησι, δια το μονον εν αυτῳ παντα εχειν, ὡν δειται· τι ουν επεται; Τῳ μονον αυταρκη τον κοσμον ειναι, το μητε τον Ἡλιον αυταρκη, μητε την Σεληνην ειναι, μητ᾽ αλλον τινα των Θεων· αυταρκεις δε μη οντες, ουκ αν ειεν ευδαιμονες, ουδε μακαριοι. *Chrysippus in his, quae adduxi solum mundum ex sese totum aptum, sibique sufficientem adfirmat: quia solus omnia in se habeat, quibus ei sit opus: quid inde sequitur? Neque Solem sibimet, neque Lunam, neque ullum alium Deum sufficere: ergo ne felices quidem, beative erunt.* Lib. *De Stoicorum Repugnantiis.* T. II. p. 1052. *Paris.* 1624.

Lin. 35. Χρυσιππος εν τοις κ. λ.). Chrysippus in tradendis ingenii sui monumentis tantum operae, laborisque posuit, ut ad ea, quae scripsit, penitus cognoscenda, longa vita opus esse adfirmet Valerius Maximus L. VIII. c. 7. *Extern.* 10. Quod autem libros scripserit de Divinatione, quorum meminit Philodemus, perspicue tradit Cicero. Ubi enim de oraculis, et divinatione, quid superstitiosi Stoici, omnia fere huiusmodi somnia defendentes, iudicarint, et quae alii alia ratione scripserint, paucis exponit; inter alia *adcessit*, inquit, *acerrimo vir ingenio Chrysippus, qui totam de Divinatione duobus libris explicavit sententiam, uno praeterea de Oraculis, uno de Somniis. De Divinat.* L. I. c. 3. His etiam docet Chrysippum Apollinis oraculis totum implevisse volumen. *Ibid.* L. II. c. 56. eiusque librum plenum esse somniorum. *Ibid.* cap. 70. Iam porro Chrysippus a Philodemo ὁ παν videtur ειρωνικως adpellari. Ab Epicureis enim *Chrysippus nunquam, nisi Chesippus vocabatur.* Cic. *De Nat. Deor.* L. I. c. 34. Arguit enim Stoicos, quod inter plures eorum *repugnantias* illa praecipuum habere locum videatur, quae a Fati notione oritur.



COL. VIII

G. B. Casanova dis. — *R. Biondi inc.*

COLUMNA VIII.

Και κατα την του Θεου προφοραν, ιδιωτικως αφατον αυτω δυναμιν αναθεντες, όταν ὑπο των ελεγχων πιεζωνται, τοτε καταφευγουσιν επι το, δια τουτο φασκειν τα συναπτομενα μη ποιειν, ότι ου παντα δυναται. Τουτο μεν ουν. Ταχα δε και τα προκειμενα δυο σκεμματα, ει και τισιν δοξει του συνεχους ὑπομνηματος οικειοτεραν εχειν την διαληψιν, ωκονομησθω, δια το και την της προσθεσεως συνηθειαν φερειν. . . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . . την αφθαρσιαν μεν πανταχοθεν ευπορει, και επιτελει τεκμηριουσθαι· τοις φαινομενοις δ', ὡσπερ εδειξεν, αλλους αλλαις φυσεσιν οικειουσθαι· και τοις μεν ὑδωρ, τοις δ'αερα, και γην και τουτο μεν ζωων, τουτο δε φυτων, και των ονυχων. Μαλιστα δε τοις Θεοις δει δια το τοις μεν αλλοις προς ποσον χρονον ειναι τας διαμονας, τοις δε προς τον αιωνιον, οις χρη αν φυσει μηδεν, αλλα μηδ' ελαχιστον, εντυχειν λυμης αιτιον. Ὡς γαρ τα απαντα την διαμονην, και πολλα των επισυνεργουντων ..., ... Θεον, εως ου ... την ιδιαν ... αθανατος, ... και τα αλλα ... α τη φυσει, ουδε παραχορηγειται ἡ κοινη αυτου νοησις. . . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . . Τοις γαρ επι των παντων ευκδως, και ῥᾳδιως λαμβανονται χωραι του Θεου αυτου, και τα του αυτου· και ου ... αι νοησεις καθαραι· τι γαρ π... λεγουσιν, και ακεραιους παρεχοντες αει τας φαντασιας. Οἱ δε περι την γην παραμολυνονται ταις των ανοικειοτερων επινοιαις, και επι των αυτων μεντοι διαστηματων απατωνται, και ἑτεροις των αποτιθεμενων αιτιων ..., και συμπλεκονται που της ὁμω-

Atque ubi Dei nomen proferunt, vulgi more omnipotentiam ei tribuentes, quando argumentis premuntur, tunc ad illud confugiunt, quod ipsum idcirco complicata dicant non facere, quia non omnia potest. Atque id quidem satis esto. Fortasse vero praemissae duae disquisitiones, tametsi aliquibus videbuntur continui commentarii potius propriam explicationem habere, tamen constitutae sunto; quia et excursus consuetam formam praeseferunt, *et lucem rei, de qua agitur, adferunt* . . . .

. . . .

. . . *Chrysippus* probat, et concludit, immortalitatem quidem *Mentis Divinae* undique demonstrari; pro rebus autem adparentibus, uti ostendit, *Deos* alios aliis naturis adcommodari; et pro nonnullis *rebus* quidem Deos esse aquam, pro aliis aërem, ac terram; et hoc quidem *in Diis* esse animalium, hoc autem plantarum, et lapidum. Pro ista doctrina maxime necesse est, ut nonnullis Diis quidem duratio ad finitum tempus, aliis vero ad aeternum sit; quos oportet nullum, ne minimum quidem, exitii principium incurrere. Ut enim omnia aliquam habent durationem, et multas res, quae ad ea servanda cooperantur; ita circa Deum, quamdiu propriam speciem, et vim, et immortalitatem, et alia *eius* naturae coniuncta non habet, communis ipsius notio minime suppeditatur . . . .

CAP. XVIII. Falso Chrysippus non tribuit singulis Diis immortalitatem.

. . . .

. . . A nonnullis enim expedite, et facile in coelis intelliguntur regiones ipsius Dei, rerumque ad eum pertinentium; atque ab illis non comparantur notiones purae; aliquid enim puerile dicunt, quum meras etiam exhibeant semper imaginationes. Alii vero circa terram rerum minime convenientium opinationibus se foedant, et de ipsis utique distantiis errant; atque cum principiis diversis ab iis, quae spectantur, miscent, et confundunt aliquando cognomines

CAP. XIX. Variae sententiae de Deorum distantia.

ADNOTATIONES.

Lin. 1. et seq. ἀπαντος). Ad sequens verbum, δυναμιν, referimus hanc γεννητικην πτωσιν· quia Graecis Scriptoribus saepe πανδυναμος, et παντοδυναμος, nusquam παντοδυναμια adrisit; propterea ἀπαντος δυναμιν, *omnipotentiam*, dixit Philodemus. Quod autem haec Deo ἰδιωτικως, *vulgi more et sermone*, tribueretur, notissima res est; neque Stoici laudem hanc Deo negare audebant. Dum tamen populi aures huiusmodi loquutione mulcebant, suis dogmatis Deum Omnipotentem non esse monstrabant, uti heic notat N. A. Tanti nimirum erroris duplex agnoscenda est causa. Altera quidem, quod Fato Stoico semel admisso, Dei Omnipotentia prorsus evanescit: re vera ita de Fato loquebantur Stoici: την πεπρωμενην μοιραν αδυνατον εστιν αποφυγειν και Θεῳ· *destinatam sortem nec Deo fas effugere.* Herodot. L. I. c. 91. p. 46. *edit. Wessel.*

Δουλοι βασιλεων εισιν, ὁ βασιλευς Θεων,
Ο' Θεος αναγκης.
Sunt regibus servi; rex servus est Deo;
Deus necessitati. Philem. *Fragm.* p. 306. *Amst.* 1709.

Cuius sententiae asperitatem ut lenirent Stoici, ipsum Deum esse Fatum, ac propterea non alteri, sed sibimet subiectum esse dictitabant. *Deus ipse est necessitas sua.* Senec. *Quaest. Natur.* L. I. Hanc vero rationem adferebant: *vir bonus non potest non facere, quod facit: non enim bonus, nisi facerit.* Idem *De Benef.* XXI. Quum igitur Fati legem exsequeretur Deus, in rebus regendis omnium absurditatum causam in se suscipiebat. Hinc illa admodum impia Chrysippi sententia: μητε ακρασιαν ειναι, μητε κακουργιαν, ἡς ουκ εστιν ὁ Ζευς αιτιος· *nullum esse libidinem, nullum scelus, quod non Iovi auctori imputandum esset.* Plut. *Adv. Stoicos* T. II. p. 1076. *Paris.* 1624. Altera porro causa Stoicis videbatur ipsa rerum natura, quae semper imperfecta est, et malis devitandis minime idonea; propterea

Omnia mendose fieri, atque obstipa, necesse est.
Lucr. L. IV. v. 518.

Quod autem id Stoici diserte adfirmaverint, Seneca ὁ στωϊκωτατος satis probat, haec scribens: *a magno Artifice formantur prava multa; non quia cesset ars, sed quia id, in quo exercetur (materia), inobsequens arti est. Quaest. Nat.* L. I. Praefat. *Quare Deus tam iniquus in distributione Fati fuit, ut bonis viris paupertatem, vulnera, et acerba funera adscriberet? Non potest Artifex mutare materiam: hoec passa est. De Provid.* Cap. V. Porro huius erroris refutationem invenies apud Eusebium *Praepar. Evang.* L. VII. cap. ult. apud Tertullianum in *Hermog.* Cap. X. et seqq. et apud Arnobium *Adv. Gent.* L. I. 27. et seq. et *Observ. Elmenhorstii.* Haec prae oculis habentes, Philodemi mentem in exponenda Chrysippi sententia facile adsequimur.

Lin. 6. et seqq. προκειμενα δυο σκεμματα κ. λ.). Quaenam sint hae duae praemissae *disquisitiones*, ex laciniis hactenus explanatis satis superque colligimus. Altera est *De Deorum membris*, cuius in Columna tertia occurrunt primordia. Altera *De exercitatione, et potestate Deorum*, quam adversus Chrysippum pertractat Philodemus, et huc usque prosequitur. Has nimirum disquisitiones iure dixerit quispiam, uti Auctor fatetur, το συνεχες ὑπομνημα, quoniam *commentarium* exhibent *continuum*, seu *non intercisum*; isque cum tractatu, qui prae manibus habetur, admodum cohaeret. Dicit autem προσθεσεως συνηθειαν φερειν, quia προσθεσις est quasi προσθηκη, uti notant Lexicographi. Προσθηκας autem adpellat Herodotus *excursus* L. IV. n. 30; cuius vocis significatio ad orationis *digressionem* transfertur. Vide Plinium L. V. Epist. 6. Caeterum *excursus* hoc sensu ab *odditamento* parum differt, quae est frequentior προσθεσεως interpretatio.

Lin. 17. et seq. την αφθαρσιαν κ. λ.). Quae partim legentes, partim supplentes tibi exhibemus, tunc facile explicabuntur, quum Chrysippi de Deo sententia in mentem revocetur. Is enim multos inter Deos unum ἡγεμονικον esse censebat, cuius την αφθαρσιαν, quae heic dicitur πανταχοθεν τεκμηριουσθαι, omnino propriam esse arbitrabatur. Etsi autem interdum adseruerit το ἡγεμονικον esse Mundum, alias Coelum, alias Ignem, alias Aetherem, uti testatur Laërtius L. VII. segm. 136. et seqq.; tamen melius suam sententiam exponens, *ait Vim Divinam in ratione esse positam, ut universae naturae animo, atque mente, ipsumque Mundum Deum*, dicit, *esse, et eius animi fusionem universam, tum eius ipsius principatum, qui in mente, et ratione versetur, communemque rerum naturam universam, atque omnia continentem.* Cic. *De Nat. Deorum* L. I. c. 13. Eadem habes apud Lactantium: *Chrysippus naturalem Vim Divina ratione praeditam .... Deum nuncupat. Div. Instit.* L. III. c 5. Profecto Chrysippum indicare videtur Tertullianus, ubi, *apud vestros quoque*, ait, *sapientes* λογον, *idest sermonem, atque rationem constat artificem videri universitatis. Apologet.* Cap. XXI. Huic igitur Numini, non autem variis mundi partibus immortalitatem vindicasse videtur Solensis ille Philosophus, uti etiam noster Auctor testatur. Quod vero nostram maxime firmat coniecturam, illud est Plutarchi: οἱ Στωϊκοι Θεῳ ἑνι χρωνται αιδιῳ, και αφθαρτῳ· τους δε αλλους και γεγονεναι, και φθαρησεσθαι νομιζουσιν· Επικουρειων δε χλευασμους, και γελωτας ου τι φοβητεον. *Stoici unum dumtaxat Deum aeternum, interitusque expertem admittunt; reliquos et natos, et obituros censent; neque metuendae sunt Epicureorum sannae, et risus. De Oracul. Defect.* Tom. II. p. 20. *Paris.* 1624. Quisnam autem fuerit Stoicorum tam absurdae sententiae auctor, Plutarchus pariter memoriae prodit, ubi haec de Chrysippo scribit: ὁ Χρυσιππος .... ουδενα οιεται, πλην του Πυρος, αφθαρτον ειναι των Θεων, αλλα παντας κ. λ. *Chrysippus .... excepto Igni, nullum Deum putat interitu carere, sed omnes etc. Stoic. Repugn.* p. 1051. Quare sermonem Philodemi heic capite minutum

ita restituimus: *Chrysippus Mentis Divinae* (nisi mavis *Ignis*) *probat et concludit immortalitatem quidem undique demonstrari, pro rebus vero adparentibus, uti ostendit, Deos alios aliis naturis aptari.* Ubi duo animadvertenda sunt: alterum quod φαινομενα vocet Philodemus *substantiae*, quae *sub sensus cadunt*, non autem ea, quae vulgo dicuntur φαινομενα, videlicet *res in substantiis adparentes*: alterum quod Deos aliis naturis aptatos, uti modo legimus apud Plutarchum, censuerit Chrysippus morti obnoxios.


Lin. 20. και τοις μεν ὑδωρ κ. λ.). Quod Chrysippo totam hanc περιοχην tribuerimus, praeter eius nomen superius a Philodemo memoratum, evincunt etiam veterum Scriptorum testimonia. Etenim haec legimus in Laërtio: ὁ μεντοι Χρυσιππος, διαφορωτερον παλιν, το καθαρωτερον του αιθερος εν ταυτῳ, ὁ και πρωτον Θεον λεγουσιν αισθητικως ὡσπερ κεχωρηκεναι δια των εν αερι, και δια των ζωων ἁπαντων, και φυτων, δια δε της γης αυτης καθ' ἑξιν. *Chrysippus autem rursus a se dissidens in eodem purissimum dixit, ac liquidissimum aethera, quem etiam primum adserunt esse Deum, sensibiliter, et veluti infusum per ea, quae sunt in aëre, ac per cuncta animantia, et plantas; per terram autem ipsam, secundum habitum.* L. VII. segm. 138. Audiatur etiam Tullius: *Iam vero Chrysippus .... Mundum Deum dicit esse .... Ignem praeterea, et eum, quem antea dixi, aethera, tum ea, quae natura fluerent, atque manarent; ut et aquam, et terram, et aëra, solem, lunam, sidera, universitatemque rerum, qua omnia continerentur, atque homines etiam eos, qui immortalitatem essent consequuti. Idemque disputat aethera esse eum, quem homines Iovem adpellarent; quique aër per maria manaret eum esse Neptunum, terramque eam esse, quae Ceres diceretur, similique ratione persequitur vocabula reliquorum Deorum. De Nat. Deorum* L. I. c. 13. Hanc doctrinam inter *Stoicorum Repugnantias* merito enumerat Plutarchus T. II. p. 1051. et seq. *Paris.* 1624. Porro istam Deorum turbam φαινομενοις, seu *substantiis, quae cernuntur, adcommodari* dicit, quia pro rerum sensibus nostris subiectarum varietate varia Deorum nomina a Poëtis conficta suo more Chrysippus explicabat.

Ibid. τουτο μεν ζωων κ. λ.). Quod Stoici Deos tum animantibus, tum plantis, tum lapidibus adtribuerint, non unus est Philodemus, qui testetur. Illi enim innumeros finxerunt Deos, singulis quibusque naturis adcommodatos: immo ad singulas naturas ingentem ipsorum turbam pertinere opinati sunt. Consule, si libet, Sext. Empir. L. IX. segm. 39. Cicer. *De Nat. Deor.* L. 1. c. 13. S. Aug. *De Civ. Dei* L. IV. c. 8.

Lin. 21. των ονυχων). Vertimus *lapidum*, quia varia *lapidum* genera, praecipue pretiosa, ut notum est, ονυχες dicebantur, et *lapides* inter Deos fuisse relatos nuper demonstravimus Fragm. 15. Tab. VIII. p. 26.

Ibid. μαλιστα δε κ. λ.). Ad illud redit, quod pridem statuerat Fragm. 1. Tab. I. Dei notionem ab immortalitate secerni nequaquam posse, ut sit το αφθαρτον, seu ζωον αφθαρτον .... μηθεν της αφθαρσιας αλλοτριον .... αυτῳ προσαπτε· *res immortalis*, seu *animal immortale* ..... *nihil ab immortalitate alienum .... ipsi adfinge.* Laërt. L. X. segm. 123. et 139. Haec Philodemus ad Chrysippum refutandum ingerit, qui in alia omnia abibat. Vide Plutarchum *De Stoic. Repugnant.* Tom. II. p. 1051. et seq. *Paris.* 1624.

Lin. 28. συναπτομενα τη κ. λ.). Hariolando potius haec supplevimus, quam legendo. Sensus quidem, et residua elementa hariolationi favere videntur: verbum autem συναπτομενα modo legimus lin. 4: caetera, quae sequuntur, ex Epicuri Epistola ad Menoeceum excerpsimus. Ibi enim legitur: τον Θεον, ζωον αφθαρτον, και μακαριον νομιζε, ὡς ἡ κοινη του Θεου νοησις ὑπεγραφη· *Deum esse animal immortale, ac beatum puta, sicut communis de Deo dictat intelligentia.* Laërt. L. X. segm. 123.



J. B. Casanova dis. *R. Biondi inc.*

COLUMNA IX.

…ους φυσεις, επι ταυτου τοις θεωρουμενοις Ηλιω, και Σεληνη διαστηματος, Ηλιος ειναι, και Σεληνη· καθ' ὁν τροπον επι της αυτης επιφανειας χροαι πλειους διαφοροι εμπιπτουσιν· ὡς αυτοτατου κατοπτρου, και της εμφασεως, του μεν κατοπτρου τελεως μικρου φαινομενου, της δ' εμφασεως μεγαλης. Επι δε ταυτου κατα τουτο λεγομεν, ότι διελειν ουκ εν αριθμω το διαστημα που δει παν, ότι το μεν επι τουδε, το δ' επι τουδε. Εχει δη … μεν σβεσιν, και … νοουμεν δε και χροαν του κατα μερος Αστρου, και νοειται τα χρωματα της επιφανειας, δηλον, ὡς επι ταυτου νοουμεν αμφοτερα. Και απο μερους δ' εστιν ειπειν, ὡς επι ταυτου διαστηματος νοησιν … εχομεν. … ταυτην … περι… η … τε … εστιν … παραβεβλησθαι τη ὑλη, ὡς ουκ ορθον λεγειν παραβεβλησθαι τουτοις ὀυτω σμικ… ειναι κατα την ὑπερβασιν, ουδε τη μεταξυ· Δι' … αποδοτεον τας συμπλοκας και μαλιστα … τουτων ουδ' αχωριστων, και συμπεριπολειν … τοις Αστροις ὑπο…τειν τους Θεους· αλλα …, ὁποσον βουλεται, τις απεχηται …, η τι κατω, μεταξυ διαστασεως ὑπερβαινων, … συνημμενους προσθεν, η οπισθεν, και τον … λειπειν. Ο'τε μεν ουν των αυτων . . . . ινα μη … ὡς επι των αλλων των κα…, … γενοιτ' αν. Ου γαρ εκφοβεισθαι γε Θεον ειπεν ὁ Απολλοδωρος περι τινι, και τον μακραν απειναι των παρ' ημιν τα γεννητικα, και διαλυτικα εχοντων, ἱνα μη τουτοις συναναμιγνυμενος προς την αφθαρσιαν εμποδιζηται. Των γαρ κατ' αλληλα πιπτοντων εμποδιστικων μακραν δει ποιειν. Επι δε ταυτου διαστηματος κοινοις γεννητοις, και διαλυτοις εν φυσει … τροπον ουδεν…

naturas; ut in eadem distantia, in qua Sol, et Luna spectantur, Sol, et Luna re ipsa sint: quemadmodum in una eademque adparentia plures varii colores incidunt; uti quum ipsissimum sit speculum, eiusque repraesentatio; speculum quidem prorsus parvum, repraesentatio vero magna adparet. In hac autem ipsa re id dicimus, aliquando non omnem distantiam dividendam esse per numerum; quoniam ad aliud quidem ille, ad aliud vero haec *refertur*. Habent profecto Astra extinctionem, et incensionem; nos autem colorem etiam singulorum Astrorum animadvertimus; et *re vera* animadvertuntur colores adparentiae, quia, scilicet, simul utrumque consideramus. Atque ex parte dicendum est, nos de eadem distantia notionem omnino imperfectam habere. Quamobrem Deos Astris nec circumpositos, nec insertos dicere oportet: neque enim consentaneum est putare Deos in materiam esse proiectos, uti rectum non est dicere eos proiectos esse in hasce res adeo parvas: sed oportet collocare in *regione*, quae superior est, non in ea, quae intermedia est. Quare admittendum non est complicationes vel maxime fieri harum rerum, quae separandae sunt; ac Deos una cum Astris in orbem agi, hisque subiici: sed quum aliquis *eorum*, quantum voluerit, superne, vel inferne discesserit, intermedium spatium praetergressus; *alios* ante, vel retro considentes, locumque interpositum reliquit. Quando igitur ipsorum. . . . . ¶ ne timor, uti in aliis, qui concutiuntur, ipsi *Deo* obveniat. Non enim terreri utique Deum pro aliqua re dixit Apollodorus; atque *ipsum* longe abesse ab iis, quae apud nos generandi, ac dissolvendi vim habent, ne his commixtus ab immortalitate adsequenda impediatur. *Deum* enim ab iis, quae inter se colliduntur, impedimentis longe facessere oportet. Pro eadem autem distantia ad ea, quae communiter generantur, et dissolvuntur in natura, nullum *Deorum* revertentem

CAP. XX.

Cur Deos veneratione dignos existimet.

ADNOTATIONES.

Lin. 1. et seqq. επι ταυτου κ. λ.). Ut totum hoc operis caput, qua lectum, qua restitutum, facilius intelligatur, tantisper lectorem detineamus, oportet. Primo quidem illorum opinionem Philodemus memorat, qui *in Coelis intelligebant regiones Dei, rerumque ad eum pertinentium:* atque pro Epicurea impietate *illos* contemnit, quod *expedite et fncile* in eam abierint sententiam, cui non modo poetae, et vulgus, sed nniversum hominum genus favebant, ipsamque *puerilem*, et inter *meras imaginationes* amandandam stultissime adfirmat. Quod autem eadem sententia Stoicis praecipue, quos Noster pungit, placuerit, nemo inficias ibit; quandoquidem *Cleanthes ... tum ipsum mundum esse Deum dicit ... tum ultimum, et altissimum atque undique circumfusum, et extremum omnia cingentem, atque complexum urdorem, qui aether nominetur, certissimum Deum iudicat.* Cic. *De Nat. Deor.* L. I. n. 37. Immo ipse Stoicorum Pater Zeno inquit; Ουρανος, ἡ εσχατη περιφερεια, εν ᾗ παν ἱδρυται το θειον· *Coelum extrema circumferentia, in qua sedem habet quidquid est Divinum.* Laërt. L. VII. segm. 138. Quare Scipio, doctore scilicet Panaetio stoicissans, aiebat: *orbis coelestis ultimus, qui reliquos complectitur, summus ipse Deus arcens, et continens caeteros.* Cic. *Somn. Scip.* num. 9. Ad *alios* Noster deinde transit, qui *circa terram rerum minime convenientium opinationibus se foedabant;* eosdemque Stoicos indicat, qui Terram modo *Deum*, uti narrat Laërtius L. VII. segm. 137. modo *magni animulis ventrem*, uti refert Plutarchus *De Facie in orbe Lunae* pag. 928. *Paris.* 1624., modo *principium generationis mundi,* uti legimus apud Stobaeum *Eclog. Phys.* C. XXV. esse antumabaot. Qnin etiam Stoici *in ipsis distantiis* signandis *errasse* Philodemo dicebantur. Epicureis enim Astrorum distantia non ea erat, quae videbatur, sed utique maior, quam adpareret. De Sole enim canit Lucretius:

Nam quibus ex spntiis cumque ignes lumina possunt
Adiicere, et calidum manibus afflare vnporem,
Illa ipsa intervalla nihil de corpore libant
Flammarum, nihilo ad speciem est contractior ignis, etc.
Lib. V. v. 567–70.

Luna pariter ab eo dicitur, *ut est oris extremis cumque notnta.* vers. 583. Apud eumdem etiam Sidera *longius absunt,* vers. 589. Ad hanc doctrinam referendum videtur illud Epicuri: ει γαρ (ὁ Ηλιος) το μεγεθος δια το διαστημα αποβεβληκει, πολλῳ αν μαλλον την χροαν· αλλο γαρ τουτῳ συμμετρωτερον διαστημα ουδεν εστι. *Nam si (Sol) magnitudinem, distantiae ratione, amisisset, multo magis profecto colorem: alia enim maior distantia ad hanc (coloris mutationem) efficiendam adcommodatior nulla est.* Laërt. Lib. X. sect. 91. Quem Epicnri locum, ubi *distnntiae* quaestio cum *colore* Siderum connectitur, uti et verba ibidem adposita, πυρα εξ αποστηματος θεωρουμενα, *ignes qui longe spectnntur*, Philodemum heic ob oculos habuisse nullus dubito. Is itaque Stoicos taxat, quod Terram Dei sui membrum ponentes, ut ipsam cum membris adeo dissitis unum corpns efficere, facilius in aliorum animos inducerent, distantiam Solis, Lunae, ac Siderum, quae *cor*, *iecur*, et *oculos huius nnimalis* ab ipsis dicebantur (Vide Plutarch. *De Facie in Orb. Lun.* pag. 928. *Paris* 1624.) adeo imminnebant, ut cum adparente confunderent. Ubi recte dicit eos confundere *cognomines naturas*, quia *distantiam* adparentem a vera non distinguebant, seu, ut loquitur Philodemus, *in eadem distantia, in qua Sol et Luna spectantur, Solem et Lunam re ipsa esse* censebant. Haec autem omnia idcirco tanta contentione exponit, ut Deos a Coelo, atque a Terra extorres in sua *Intermundia* omnino releget. Vide Adnot. in Fragm. Tab. III. p. 10.

Lin. 7. et seqq. επι δε ταυτου κ. λ.). *Distantiam* fortasse docet non secundum *numerum* esse definiendam; videlicet eam non crescere vel imminui pro *numero*, seu mensura corporis, quod in ea visitur. Ipse scilicet, uti mox dicemus, Soli mensuram unius pedis tribuebat, et cum Magistro suo eum *pedalem* adpellabat. Negat igitur tribuendum esse talem *pedum numerum* Solis magnitndini, quantus eius intervallo tribuebatur; siquidem το μεν επι τουδε, το δε επι τουδε, videlicet *numerus ad distantiam metiendam recte adhiberi, sed ad magnitudinem Astrorum inde definiendam non recte transferri* ipsi videbatur. Fortasse potius Geometriam exosus, supputationes ad investigandam Astrorum distantiam a Mathematicis institutas omnino Philodemus heic reiicit; perinde ac si Stoicis dicat: *vos Solis magnitudinem, quasi decempeda permensi, refertis; huic me mensurae vestrae, et vobis quasi malis architectis nego ego credere.* Cicer. *Acndemic.* L. IV. 126. Neque enim mirum est, si Noster Geometriam contemnat; quum illum habuerit Magistrum, qui την προς τους απο των μαθηματων αντιρρησιν διατεθεισθαι εδοκει .... πολυς τε εγινετο των μαθηματων κατηγορος, *contradictionem ndversus disciplinarum professores instituisse videbatur .... et multus erat in reprehendendis disciplinis.* Sext. Empir. *Adv. Math.* L. I. n. 1. et seq. Quin etiam Epicurus tale suis Sectatoribus adversus Geometriam odinm instillavit, ut *Polyaenus, qui magnus Mathematicus fuisse dicitur, is .... Epicuro adsentiens totam Geometriam esse falsam crediderit.* Cicer. *Academic.* L. IV. n. 106. Quare Augustinus, *quis Geometricas*, inquit, *litteras legere Magistro Epicuro, aut discere voluit? contra quas ille multum pertinaciter, nihil earum, quantum arbitror, intelligens disserebat.* Lib. *De Utilit. Cred.* Cap. IV. Et revera falsum non fuisse Augustinum probant illa Ciceronis verba: *quae, si bis bina quot essent, didicisset Epicurus, certe non diceret. De Nat. Deor.* L. II. n. 48. Praesertim vero ipsam Sectam eos *numeros* sprevisse, qui ad investigandam *Astrorum distantiam*, nti heic dicit Philodemus, proponuntur, ex alio Tullii loco evidentius colligimus: *an (Epi-*

ADNOTATIONES.

curus) se, ait, *ut Plato in Musicis, Geometria, numeris, Astris contereret, quae et a falsis initiis profecta vera esse non possunt; et, si essent vera, nihil adferrent, quo iucundius, idest quo melius viveremus? De Finib.* L. I. n. 72.

Lin. 10. σβεσιν, και αφην). Haec idcirco ita refinximus, quod Epicuri δογματι de Astrorum ortu et occasu innitantur. Is enim ad Pythoclem scribit: ανατολας, και δυσεις Ἡλιου, και Σεληνης, και των λοιπων αστρων και κατ᾽ αναψιν γινεσθαι δυνασθαι, και κατα σβεσιν, τοιαυτης ουσης περιστασεως. *Ortus, et occasus Solis, et Lunae, caeterorumque Siderum fieri posse et per incensionem, et per extinctionem, quum huiusmodi fuerit circumstantia.* Laërt. L. X. segm. 91. Vide Gassendum in h. l.

Lin. 15. et seqq. Και δια ταυτην αιτιαν κ. λ.). Audacter, sed non temere haec restituimus; novimus enim illa Lucretii verba:

Haud igitur constat divino praedita sensu;
Quandoquidem nequeunt vitaliter esse animata, etc.

Lib. V. vers. 145. et seq. Et is alibi cecinit:

.... ne forte rearis
Terras, et Solem, et Coelum, Mare, Sidera, Lunam,
Corpore divino debere aeterna manere, etc.

Ibid. v. 115. et seqq. Adde Ciceronem, qui Epicureum inducit dicentem: *non posse se intelligere, qualis sit iste volubilis, et rotundus Deus. Quae vero vita tribuitur isti rotundo Deo? Nempe, ut ea celeritate contorqueatur, cui par nulla ne cogitari quidem possit? In qua non video, ubinam mens constans, et vita beata possit insistere. De Nat. Deorum* L. I. n. 46. Ubi Stoicorum reiicitur doctrina, qua Mundo, eiusque partibus *Deos circumpositos, et insertos* quasi animam corpori tradebant.

Lin. 18. τῃ ὑλῃ). Verbum satis opportunum huc iniecimus, ipso Epicuro duce usi, qui ad Solem et Lunam pertinere quamdam *materiam* opinabatur, quam ita signat: ὑλης επιτηδειας αει εχομενης, και της μεν εμπιμπραμενης, της δε καταλειπουσης· *quum materia apta semper habeatur, quae partim inflammatur, partim vero relinquitur.* Laërt. L. X. segm. 93.

Lin. 19. τουτοις ὀυτω σμικροις). Quod *res istae adeo parvae* dicantur *Astra*, mirum videri non debet, si mentem advertamus ad ridiculam Epicureorum de Astrorum magnitudine opinionem. Putabant enim Solem, quem Astrorum maximum fatebantur, esse fere *pedalem*. Audiatur ipse Epicurus in Epistola ad Pythoclem: το μεγεθος Ἡλιου τε, και των λοιπων Αστρων κατα μεντοι προς ἡμας τηλικουτον εστιν, ἡλικον φαινεται. *Magnitudo Solis, et reliquorum Siderum, nostra quidem existimatione, tanta est, quanta adparet.* Laert. L. X. segm. 91. Quare Cicero *bipedalem* Solem ex Epicuri sententia adpellat, subiiciens: *tantum enim esse censet, quantus videtur, vel paulo aut maiorem, aut minorem. De Fin.* L. I. n. 20. etc. Et alibi: *mihi quidem Sol quasi pedalis videtur etc. Acad.* L. IV. n. 82. Plutarchus pariter, ubi de Solis magnitudine agit, sic habet: Επικουρος τηλικουτον, ἡλικος φαινεται, η μικρῳ μειζων, η ελαττων. *Epicurus tantum (Solem esse putat), quantus adparet, aut paulo maiorem, aut minorem. De Placit. Philos.* L. II. c. 21. Hanc vero absurdissimam mensuram (quam caeteroquin excusare conatur Gassendus, *De Meteorologia Epicuri.* Tom. I. p. 403. et seqq. *Lugd.* 1635.) eius sectatoribus admodum placuisse probat Lucretius:

Nec nimio Solis maior rota, nec minor ardor
Esse potest, nostris quam sensibus esse videtur, etc.

Lib. V. v. 565. et seq. De Luna pariter canit:

Quidquid id est nihilo fertur maiore figura,
Quam nostris oculis quam cernimus esse videtur, etc.

Ibid. v. 577. et seq. De Stellis denique eamdem, quam de Sole, pronunciat sententiam:

Scire licet perquam pauxillo posse minores
Esse vel exigua maiores parte, brevique.


Ibid. v. 590. et seq. Quare etiam omnibus Epicureis ipsissimam opinionem perspicue tribuit Seneca, his verbis: *Solem, quem toto orbe terrarum maiorem probat ratio, acies nostra sic contraxit, ut Sapientes viri* (Epicurei) *pedalem esse contenderint. Quaest. Nat.* L. I. c. 3. Cleomedes denique sic scribit: *Epicurei, et qui fuerunt illius Sectae reliqui, tantum esse Solem, quantus adparet, denunciarunt. Meteor.* L. II. c. 1. Quae quum ita se habeant, iure meritoque illud, τουτοις ὀυτω σμικροις, ad sidera referendum duximus, quia Philodemo vel ipse Sol parvulus videbatur. Prae oculis utique habemus Lucretii verba:

.... Qua ratione
Tantulus ille queat tantum Sol mittere lumen?

Lib. V. v. 592. et seq. Vide, quae disputavimus, T. II. pag. 33.

Lin. 36. et seqq. ειπεν ὁ Απολλοδωρος). Plures fuisse huius nominis Scriptores, fuse probant Scipio Tettus *De Apollodoris*, *Romae* 1555, et Ioannes Ionsius *De Script. Hist. Phil.* L. II. c. 17. Eorum etiam catalogum ad duos supra quadraginta produxit Harlesius *Bibl. Graec.* L. III. c. 27. in Vol. IV. p. 299. et seqq. *Hamburgi* 1785. Quum vero ex hisce lucubrationibus discamus Apollodorum Ephillum fuisse Stoicum, τον Κηποτυραννον autem fuisse Epicureum; ad alterutrum spectare adlatam a Philodemo senten-

tiam non temere autumamus. Si Epicureum censemus, ubinam hanc protulerit, divinare non possumus: is enim praeter *Epicuri Vitam* a Laërtio L. X. segm. 2. laudatam, ὑπερ τετρακοσια συνεγραψε βιβλια, *quadringenta, et eo amplius, conscripsit volumina.* Ibid. segm. 25 Si vero Stoicum remur, non modo eius Ἠθικην, et Φυσικην, sed etiam Εισαγωγην εις τα δογματα, sive Συναγωγην των δογματων, quae a Laërtio memorantur L. VII. segm. 102. 125. 182, quaeque deperdita sunt, perlegenda essent; ac praecipue ea pars prae manibus habenda esset, quae Φυσιολογικη Εισαγωγη inscribitur a Suida in V. Θεων. Poterat enim huiusmodi sententia, quam citat Philodemus, in quolibet horum Operum extare. Iam porro si e Stoici calamo ipsa excidisset, ab N. Epicureo Scriptore libentissime adripienda erat; nam saepe ab innumeris Stoicorum *Repugnantiis*, et sententiis in infinitum variantibus testimonia suis opinionibus faventia desumebant adversarii. Quod si in aliquo Epicurei Philosophi libro occurrisset, mirum haud esse debet, quod Philodemus eam adlegaverit; quippe qui Epicuri, Hermarchi, Metrodori, aliorumque eiusdem Sectae Auctorum loca passim in medio ponit. Quisquis autem eius Auctor fuerit, sententia ita intelligi potest, ut Deum in *intermundia* ableget; atque ita Epicureo homini conveniet. Possumus autem ipsam benignius sic interpretari, ut Deus metu, et materiae natura solutus dicatur; atque hoc sensu ad Stoicorum Scholam utique pertinebit.



COL. X

G. B. Casanova dis. *L. Corazza inc.*

COLUMNA X.

παρωδειν προσηκειν, αλλα και γενναν εκ τινων ζωων κακεινον. Δια δη τα προειρημενα και καλως εχει τιμαν, και σεβεσθαι και ταυτα, και μαλλον η τα κατασκευαζομενα προς ἡμων ειδη, και τους νεους Θεους· ὁτι τα μεν αει συναπτεται του σεβασμου του παντος αξιοις, τα δ' ουχ ὁμοιως. Περι τοινυν κινησεως Θεων ὡδε χρη γινωσκειν. Ουτε γαρ ουτε εν εργων μηθεν ἑτερον εχειν αυτους, η δια της απειριας των ὁδων, και τοπων ελθειν και επανελθειν μη πως αναπαυσαμενους· και γαρ η εστιν κατα τον βιον αει ευτυχης ὁ ῥυμβονωμενος απαναριστητως, η ακινητους ὑποληπτεον. Ουδε ὁ αγων τις, η επινοειται τι τοιουτον ἁμα δε και ουδ' αυτοις ενδεια προσπιπτει, και κατ' αυτην φυσιν ουδε πονος . . . .

. . . .

. . . . Και γαρ εκ των ὑποληψεων ψευδων αγων εις Θεον επινοειται, καθ' ὁν τροπον αγωνας εις τον Φοιβον τον Παιωνα εποιουν. Και ουτω εν αλλοις και αλλοις, επ' αλλων και αλλων των ου γενομενων, ουδε τω λογω θεωρουμενων αιτιων ἑτερα καθ' ἑκαστον Θεον ψευδη εστιν, ουτε γεγεννημενον ουχ ἑν. Και τουτο επαριθμον και προς τον αγωνα, καθαπερ ἡμεις και προς τοιουτον βιον, ὁιοπερ και κινησιν εχει, ειπαμεν . . . .

. . . .

. . . . Διοτι και ἑν την ὑπαρξιν αν ερουμεν, και ταυτον την οικησιν των Θεων· ἑν γαρ ειναι δει το κινουμενον, αλλ' ου πολλα επι των ἑξης τοπων, και το ζων αει ταυτον, αλλ' ουχ ὁμοια πολλα. Ου μην αλλα τον ειρημενον τροπον ὁ τοιουτος αμοιβος Θεος εξ ιδιοτητων αυτων συνιστηκως μεταλαμβανει και των

effutire par erat, sed nec etiam quod ex aliquibus animalibus prolem et ille *Deus* gignat. Nimirum ob ea, quae modo dicta sunt, etiam recte se habet, ut honoremus, veneremurque istaec *Numina*, et quidem magis quam simulacra a nobis facta, et novos Deos; quia res veteres semper connectuntur cum rebus omni veneratione dignis; novae autem non item. ¶ De motu vero Deorum ita oportet censere. Neque enim putandum est eos nullam aliam occupationem habere, quam per infinitas vias, et loca ire, et redire, nusquam quiescentes; etenim aut est in vita semper beatus is, qui vagatur prandii quiete carens, aut immobiles *Dii* censendi sunt. Neque certamen aliquid, aut quidpiam huiusmodi ad eos pertinere concipitur; simulque illis neque indigentia, atque secundum ipsam naturam neque labor incidit. .

CAP. XXI.

De motu Deorum quid censeat.

. . . .

. . . . . Etenim ex falsis opinationibus certamen ad Deum pertinere concipitur, quemadmodum certamina Phoebo Paeoni instituerunt. Atque ita in aliis atque aliis pro aliis atque aliis principiis, quae neque extant, neque ratione concipiuntur, caeterae res circa singulos Deos falsae sunt, neque unum quidem re vera factum est. Atque id ipsum pariter dicendum est de certamine; quemadmodum nos et de tali vivendi genere, quia etiam motum habet, diximus . . . .

. . . .

. . . . . Quare et substantiam Deorum unum quidpiam *cum Astris*, et situm idem aliquid esse utique dicemus: quod enim de loco in locum movetur, unum quidpiam esse oportet, ac non multa; et quod vivit, semper idem aliquid *esse oportet*, ac non multa similia. ¶ Quin etiam secundum expositam rationem huiusmodi Deus vicissitudinibus obnoxius, dum iisdem proprietatibus constat, contingit

CAP. XXII.

Sententiam suam alio argumento obfirmat.

Lin. 1. παρωδιν). Hoc omnino verbum non modo residua elementa, sed sensus etiam iure inclamant. Quamdam enim *parodiam* concinnabant Stoici, dum fabularum, quas Poëtae Theologi cecinerant, interpretationes et commentarios elucubrabant. Cuius eorum laboris mentionem faciunt tum Laërtius L. VII. segm. 147, tum Galenus *De Hipp.* et *Plat. Placit.* L. III. c. ult. qui de Chrysippo scribit, *κατα τους μυθους τε, και τας ετυμολογιας...και ποιητων μαρτυριας, in fabulis, et etymologiis...et Poëtarum testimoniis* explicandis multum operis insumsisse. Fusius tamen rem narrat Tullius: *Chrysippus....vult Orphei, Musaei, Hesiodi, Homerique fabellas accommodare ad ea, quae ipse in Primo Libro de Diis immortalibus dixerit; ut etiam veterrimi Poëtae, qui haec ne suspicati quidem sunt, Stoici fuisse videantur. De Nat. Deorum* L. I. n. 15. Quin etiam ipse Philodemus in libro περι Ευσεβειας, qui mox edetur, non modo Chrysippum, sed Cleanthem quoque hac eadem culpa insimulat: Χρυσιππος .... τα τε εις Ορφεα, και Μουσαιον αναφερομενα, και τα παρ' Ο'μηρω, και Η'σιοδω, και Ευριπιδη, και ποιηταις αλλοις, ὡς και Κλεανθης, πειραται ξυνοικειουν ταις δοξαις αυτου. *Chrysippus...quae Orpheo, et Musaeo tribuuntur, et omnia, quae apud Homerum occurrunt, nec non apud Hesiodum, Euripidem, caeterosque poëtas, conatur, quemadmodum et Cleanthes fecit, suis adsimilare opinionibus.* Tab. VI. lin. 16. et seqq. Quis autem ignorat sexcentas esse fabulas, in quibus ad terram, atque ad homines *Dii revertentes* narrantur? Evolve libros Metamorphoseon, quos conscripsit Ovidius; ibi enim plurima occurrunt exempla; nisi forte sufficiat Castorem, et Pollucem memorasse, qui alternis occidebant, atque oriebantur, et alia huiuscemodi. Quapropter quae signa Numinis alicuius adventum praecederent, diligenter veteres descripserunt, uti notat Spanhemius *De Praest. Num.* Diss. VII. p. 425. et seqq. *Londini* 1704., et cl. noster Arditius in Dissert. *Sull' Epifania degli Dei. Napoli* 1788. Nos itaque Philodemi potius mentem, quam verbum interpretati, παρωδιν, *effutire*, vertimus; siquidem fabularum commenta, si Poetas simul, Stoicosque respicias, sunt, ut cum Tullio loquamur, *partim ficta aperte, partim effutita temere. De Nat. Deor.* L. II. n. 55. Caeterum verti etiam potuisset: *poëtarum parodiam canendo, dicere.* Id autem pertinet quoque ad sequens κομμα, *sed nec etiam, quod ex aliquibus animalibus prolem et ille Deus gignat.* Si enim vel unam Hesiodi Theogoniam percurras, innumerae tibi occurrunt huiusmodi fabulae, quas Stoici quidem laudarunt, Epicurei autem *futiles commentitiasque*, ut Ciceronis verbis utamur, dixerunt. *De Nat. Deor.* L. I. c. 8.

Lin. 2. ζωων). Ζωον legitur in αυτογραφω. Errorem dormitanti tribuimus librario.

Lin. 3. et seq. τα κατασκευαζομενα προς ἡμων ηδη). Si κομμα istud innotuisset Gassendo, qua is erat propensa in Epicurum voluntate, libentissime inde argumentum desumsisset ad hunc Philosophum aliquo impietatis crimine absolvendum. Videtur enim Epicuri schola non Deos, sed Idola, *quae erant opera manuum hominum*, contemsisse. Id Gassendus suspicatus quidem fuerat, aut potius adfirmaverat; sed nullo satis evidenti veterum testimonio defensionem suam roborare potuerat. Vide *Vitam Epicuri* L. IV. c. 3. et seq. Fortasse vero ex huiusmodi Epicureorum sententiis id utilitatis Divina eliciebat Providentia, ut Gentes ad detestandam idololatriam sensim pedetentimque deducerentur, atque ita per ipsos impios homines facilior verae Religioni propagandae via pateret. Vide Praef. Caeterum Chrysippus, quem semper N. A. insectatur, adeo in colendis Numinum simulacris superstitiosus erat, ut ad obscoenam quoque Iovis tabulam illustrandam sexcentos fere exaraverit versus. Vide Laërt. L. VII. segm. 188.

Lin. 4. και τους νεους Θεους). Partim Orthographus, partim nos haec verba, uti vides, restituimus, ut Philodemum sequeremur Stoicos perstringentem, qui praeter Θεους παρεδρους, *Deos Consentes*, etiam Δαιμονας, *Genios*, atque Η'ρωας, *Semideos*, honorandos praedicabant. Istos praesertim *novos Deos* nuncupat Philodemus, quorum αποθεωσιν vulgus, Stoicis minime abnuentibus, celebrabat. Haec enim memorat Laërtius: Φασι δε ειναι και τινας Δαιμονας .... και Η'ρωας, *adfirmant vero (Stoici) esse etiam quosdam Genios .... et Heroes.* L. VII. segm. 151. Consule Plutarchum *De Placit. Philos.* L. I. c. 8. et Philostratum in *Heroic. Prooem.* Quam opinionem respuere etiam per Velleium videtur Tullius, ubi de Chrysippo queritur, quod *magnam turbam congreget ignotorum Deorum ...... atque homines etiam eos, qui immortalitatem essent consequuti. De Nat. Deorum* c. 15. Porro Spartam hanc diserte adornavit Lipsius in *Stoicorum Physiologia* L. I. c. 19. et seq.

Lin. 5. et seqq. αν συναπτηται κ. λ.). Pergit Noster Epicuream Theologiam presso, ut aiunt, pede persequi. Neque enim Epicurus Deos contemnendos esse docebat; sed potius ab eo contemni arbitrabatur, qui τας των πολλων δοξας Θεοις προσαπτει, *vulgi opiniones Diis adplicat.* Laërtius L. X. segm. 123. Quamobrem modo περι Θεων, modo etiam περι Ο'σιοτητος libros conscripsit. Ibidem segm. 27. Horum porro voluminum non solum Plutarchus meminit *in Commentario, quod non possit vivi suaviter secundum Epicurum*, T. 2. p. 1101. *Paris.* 1624. sed Tullius quoque, his verbis usus: *at etiam de sanctitate, de pietate adversus Deos libros scripsit Epicurus. De Nat. Deorum* L. I. n. 115. *At quomodo*, idem subiicit, *in his loquitur, ut Coruncanium, aut Scaevolam, Pontifices Maximos, te audire dicas, non eum qui sustulerit omnem funditus Religionem.* Huiusmodi autem venerationis nullam aliam prodidit causam Epicurus, nisi quam legimus apud Philodemum, videlicet, quia *est Deorum eximia quaedam, praestansque natura, ut ea debeat ipsa per se ad se colendam elicere sapientem.* Cicer. *ibid.* Seneca item adfirmat, *Epicurum Deum colere .... propter eius maiestatem eximiam, supremamque naturam. De Benef.* L. IV. c. 19.

ADNOTATIONES.

Lin. 9. et seq. των ὁδων κ. λ.). Nimis fortasse coniecturis indulsisse nos censes, quod tot verba supplevimus: sed ne abruptus interciperetur sermo, haec, aut certe similia, *omnino* legenda erant. Quod enim Dii ελθειν, και επανελθειν passim a Poëtis dicantur, norunt profecto omnes, qui Hesiodi Theogoniam, Homeri Iliadem, Pindari carmina, et Orphei fragmenta saltem a limine salutaverint. Potest autem το ελθειν, και επανελθειν referri etiam ad ortum, atque occasum Siderum, quae, ut modo diximus, Stoici censebant esse animantia; atque adeo una cum ipsis Deos volvi arbitrabantur. Quis enim ignorat Solem, Lunam, ac Stellas passim dici *per certas ire, redire vias?* Id autem propterea respuitur a Philodemo, quod Epicurei Deum suum dicerent *nihil agentem, nullis occupationibus implicatum, minime laboriosum, in vacatione, feriatum cessatione torpere, ut si se commoverit, beatus esse non possit; spoliatum denique motu, et actione.* Vide Cic. *De Nat. Deorum* L. I. n. 51. et 102. Vide etiam Lucretium L. VI. v. 57. et seqq.

Lin. 11. ῥυμβονωμενος). Recentiores Lexicographi το ῥυμβοναιν, *dispergere*, adferunt, atque Hesychium, et Suidam ex Aeliano illud ediscentem citant. At primum exemplum, et quidem Θεου *passiva* Philodemo debemus.

Ibid. απαναριστητως). Si in Glossariis tum αναριστος, tum αναριστητος occurrit; αναλογια utique sinit αριστητως, immo απαναριστητως heic legere, uti superstites litterae, et Epicureorum dogmata iubent. Haec enim Deos *maximis voluptatibus* replebant, *quumque nullam noscerent, nisi profectum a corpore, et redeuntem ad corpus; de cibo etiam, et de potionibus* agebant, *ut eos perfunderent voluptatibus.* Cic. *De N. D.* L. I. c. 40.

Lin. 14. et seq. κατ' αυτην φυσιν). Id Epicureo homini obiiciebat Stoicus: *Deus, quibus rebus, id quod vultis, beatus est? Utatur enim suis bonis oportet, et fruatur, qui beatus futurus est.* Cic. *De N. D.* L. I. c. 9. Epicurus autem Dei beatitatem in *eximia quadam*, ac *praestante natura* totam collocabat. *Ibid.* cap. 41. Haec igitur supplendi ansam nobis praebuerunt.

Lin. 18. Και γαρ εκ των κ. λ.). Ista reposuimus verba ab Epicuro mutuati: qui ita ad Menoeceum scribebat: ου προληψεις εισιν, αλλ' ὑποληψεις ψευδεις αἱ των πολλων ὑπερ Θεων αποφασεις. *Non sunt notiones, sed opinationes falsae, quae vulgus de Diis narrat.* Laërt. L. X. segm. 124.

Lin. 20. αγωνας εις τον Φοιβον Παιωνα εποιουν). Si lectionem hanc, quam satis litterae ac textus insinuant, non respuis; habes Apollinis επιθετον, quod ne dum a pluribus Scriptoribus memoriae traditur, sed arae etiam fuisse insculptum testatur Pausanias in *Attic.* p. 52. Eius ετυμον a verbo παιειν, *percutere*, rite deducitur, ob Apollinis cum Pythone certamen. Porro ad huius celebrandam memoriam veteres canebant Παιωνα τινα αναβοησαντες βαρβαρον, και πολεμικον, *Paeonem quemdam vociferantes barbarum et bellicum.* Plat. Epist. VII. Priore sensu illud verbum heic adhibet Philodemus; neque alius, quod sciam, adeo perspicue camdem significationem indicavit. Enimvero vox Παιων, uti et adfinis Παιαν, etsi ad virtutem Apollinis medicam interdum referatur, uti apud Aristophanem in *Plut.* v. 636.; frequentius tamen bellicam audaciam significat; iuvatque audire Macrobium prae caeteris Scriptoribus fuse hac de re agentem: *Apollo medice, Apollo Paean. Quum ergo sint huiusce Sideris, idest Solis duo maximi effectus, alter quo calore temperato iuvat mortalium vitam, alterum quo iactura radiorum nonnunquam pestiferum virus immittit; duo eademque cognomina circa singulos effectus propriis enunciationibus signant, adpellantes Deum* ιηιον *atque* Παιανα, *quae cognomina utrique effectui apta sunt; ut sit* ιηιον απο του ιασθαι *a sanando, et* παιαν απο του παυειν τας ανιας; *et rursus* ἱηιος απο του ἱεναι, *ab immittendo,* βελος εχεπευκες εφιεις, *et* παιαν απο του παιειν, *a feriendo. Obtinuit tamen, ut quum sanitatem dare sibi precantur,* ιη παιαν, *per* η *litteram enuntient, idest Medere Paean; quum autem* ἱε παιαν *per* ε *litteram dicunt cum adspiratione prioris litterae, significant hoc dici in aliqua adversa precatione,* βαλλε παιαν, *idest, immitte feriendo. Qua voce ferunt Latonam usam, quum Apollinem hortaretur impetum Pythonis incessere sagittis, cuius rei naturalem rationem suo loco reddam. Saturn.* L. I. c. 17. Iam vero non aliam ob caussam Pythicum agonem fuisse institutum narrat Ovidius:

Hanc (serpentem) Deus arcitenens, et numquam talibus armis
Ante, nisi in damis capreisque fugacibus usus,
Mille gravem telis exhausta pene pharetra
Perdidit, effuso per vulnera nigra veneno.
Neve operis famam posset delere vetustas,
Instituit sacros celebri certamine ludos
Pythia, de domitae serpentis nomine dictos.

Metamorph. L. I. v. 441. et seqq. Vide Corsinium *Agonist.* in *Pyth.* et *Fast. Attic.* F. III. p. 287. Dodwellum *De Cycl.* p. 719. Fabrum *Agonist.* L. II. p. 357. *Lugd.* 1595. Iam porro Philodemum tum ad certamen Apollinis cum Pythone, tum ad ludos idcirco in Graeciam invectos praecipue respexisse censemus, ubi scripsit: *nullum ex iis, quae admodum celebrantur, certamen ad Deum pertinere concipitur, quemadmodum certamina Phoebo Paeoni instituerunt.* Neque enim Deus tanta corporis agitatione potuit adversus serpentem pugnare, quum quiete semper perfruatur; neque ad perennandam fabulae tam ridiculae memoriam ludos instituere operae pretium erat. Itaque non abs re inter *opinationes falsas* totum istud *certamen* a N. recensendum dicitur.


ADNOTATIONES.

Lin. 23. et seq. καθ' ἑκαστοι Θεοι κ. λ.). Ita legimus, tum quia de *singulis Diis alias atque aliae fabulae* habebantur, et ipsae *ob alias atque alias rationes* confictae fuerant; tum quia Epicurei omne fabularum fundamentum, sive historicum, sive *physicum* id fuerit, penitus evertebant. De utroque autem fundamento, quod verbis modo adlatis contemnit Philodemus, vide Danielem Huetium, veterum Scriptorum testimonia memorantem, in *Demonstrat. Evang.* Prop. IV. cap. 10. § 5. et seq. Certe quidem Noster allegorias, quae Huetio adpellantur historicae, vocat γενομενας, physicas autem, τῳ λογῳ θεωρουμενας nuncupare videtur.

Lin. 26. και κινησιν εχει). Adde fortasse και ταραχην, και επιθυμιας, vel quidpiam simile; ut sermonem ad ea referas, quae Auctor de cupiditatibus e Deo tollendis tradiderat; ubi praesertim *coronas*, quae per certamina obtinebantur, a Deo numquam expetitas esse adfirmaverat. Vide Fragm. Tab. VI. n. 11. et 12.

Lin. 53. et seqq. Διοτι και εν κ. λ.). Ut Deos cum Astris minime volvi adversus Stoicos probet Philodemus, hactenus plura protulerat argumenta. Hisce nunc addit, quod si Astra essent a Diis animata, simulque moverentur, Dii et Astra *unam substantiam, unum situm* haberent; Epicurei enim substantiam Animae et Corporis unam eamdemque esse, videlicet ex atomis materialibus utramque conflari opinabantur. Qua de re Cudworth. *Systemat. Intellectual.* Cap. I. §. 21. Quum vero talis Deorum cum Sideribus similitudo absurda esset, Stoicorum sententiam exsufflatum iri concludit Philodemus.

Lin. 57. Ου μην αλλα κ. λ.). Instat Noster nova argumentatione, perinde ac si dicat: *Deus* Astris insertus, Astrorum *vicissitudinibus* erit *obnoxius*; atque dum *suis proprietatibus*, quae semper *eaedem* esse debent, *constat*, Astrorum *materiam* adsumet: quod certe absurdum aeque ac ridiculum foret.



G.B. Casanova dis. R. Biondi inc.

COLUMNA XI.

ὑστεραν τη, Φυσις ισι τοις χρονοις των γιννητικων. Εστιν μεγ γαρ τις ὡρισμενος, τον ὁσον ουκ ιxβαινι τον αγωνα τα στοιχεια· των δε κατα μερος εν τουτῳ τοπων, ανα μερος ὁτι μεν τουτους πεφυκεν μεταλαμβανειν, ὁτε δε τουτους, ὡστε και τας εξ αυτων ἑνοτητας ευοδως νοειτσθαι κινουμενας· ουδε γαρ τομη πυκνωματος στερεμνιον, η. αλλα ὑποκεισθαι δυσκινητα εν τουτῳ αρνουμεθα πλανοι. Φασιν δε ου νομιστεον αυτους ουδ᾽ ὁλως μενειν, αλλ᾽ ἡμεις μενοντες στερεμνιοι, μη στερεμνιου τινος Θεων ὑποντος, ουτ᾽ αν μενειν, ουτε κινεισθαι δυναιμεθ᾽ αν. . . . .

. . . . Ει γαρ ποιησει μετοχον τον Θεον του στερεμνιου, ὡς ειναι κατα τι, και κινουντα, οιον . . . . υ καταισχυνειν . . . εισεται και τας κα . . . υς δ᾽ σχερ . . , αν ἡ Φυσις φεροι συγκριματα . . . . . νεχο . ς πυκνοτητας εις . . την; Ει δε τον . . . . . . αργον, ὡσπερ και αυτος εστιν, νοησει και εμ πυκνοτητι, και διανοιαν ουδ . . . . . . ἑστηκασιν· ἑκαστ . . γαρ των . . . . . των . . . . σκωπτονται· την γαρ αλογ . . . . . . αυτου, και προσκατορθωσιν εκ τοιουτων απαντες ῥᾳδιως γινωσκουσιν . . . .

. . . . Ει γαρ εκ πολλων αι . . . . συν . . ησι και ουσιων, ὁτι μηδενος χα . . . . ος· μη τι ισχυροτερον αυτον φαινειν . . . . . ντων. Ει δε φ . . . ὁ Θεος εχει και κλινας, και τα λοιπα των ἡμιν παρεχοντων τας χρειας, ὡς ἡμιν μεν ευπορουμενων, τοις δε την απειριαν ανειμενων επι σωτηρια κεκλημενων, δει αυτων εν δυνατῳ διακονος ὑπαρχειν. Αλλα γαρ ὑπερ τουτων ηδη τι και προτερον ειρηται. Νυν δε νο-

aliarum rerum naturam in temporibus ad res genitas pertinentibus. Est enim quispiam terminis circumscriptus, in quantum *eius* elementa spatium praescriptum non excedunt; loca vero, quae in hoc *spatio* distincta in partes sunt, partite modo illa, modo ista contingere debet, ut unitates etiam ex ipsis *elementis* constantes moveri facile concipiantur; neque enim condensationis divisione solidum, aut alia motus difficultati subiacere in loco nos, uti deceptores, negamus. Adfirmant autem *Stoici* existimandum esse *Deos* ipsos omnino non consistere; sed nos, qui solidi manemus, neque manere, neque moveri, *ut illi dicunt*, utique possemus, nisi Deorum aliquis solidus subesset. . *At falsum hoc est.* Si enim Deum finget participem solidi, uti illud regentem, et moventem, qualem re vera fingit; quomodo *Deus* nescit imminuere descensus *rerum, quae in sublimi fiunt*, molestos; quando natura fert concretiones, ac densitates continuas contra se ipsam? Si autem ipsum omnino otiosum, qualis et ipse est, finget, et *simul* in solido; etiam hanc sententiam nequaquam multi comprobarunt; quisquis enim haec dicit, irridetur; siquidem absurdam *esse* eius opinionem, et systema, omnes facile agnoscunt. . . .

. . . . ¶ Si enim multis ex caussis nullam etiam supellectilem possedit, quia nulla re indiget aliquando Deus; cogitandum non est cum aliquam ostentare, perinde ac si ipse haberet. Si vero amat Deus ibi tum lectos, tum reliqua, quae nobis praebent utilitates, ut pote nobis quidem abunde suppetentia, Diis vero in infinitis rebus ad salutem necessariis deficientia; oportet, ut eorum, quoad potest, ipse *sibi* minister sit. At enim de his iam aliquid etiam superius dictum est. ¶ Nunc autem

CAP. XXIII. Nonnulla de Supellectili Deorum.

CAP. XXIV. Plura de Somno Deorum.

Lin. 1. et seq. επι τοις χρονοις των γεννητικων). Epicurus Deos *immortales*, *atque aeternos* saepe praedicavit, Laërt. L. X. segm. 123. et 139. Quare altero hoc argumento recte confutantur Stoici, qui eos Astris indiderant, atque ita constitutos *temporibus ad res genitas pertinentibus* subiecerant. Tempora enim per Astrorum cursum metimur, atque inde *rerum genitarum* ortum occasumque signamus: adeoque Sidera εις διορισμον, και φυλακην αριθμων χρονου, *ad distinctionem et conservationem numerorum temporis* facta a Platone dicuntur et demonstrantur. *Tim.* p. 38. et seqq. Tom. III. *edit. Steph.* Immo si Dii una cum Astris volverentur, horum *vicissitudinibus obnoxii*, non modo temporum mensuram, sed *naturam* quoque rerum corruptibilium *contingere*, seu eiusdem *participes fieri* deberent. Astrorum enim vicissitudines Diis αγωνα, *spatium*, seu *orbitam* praescriberent; locorum partes, quibus adcedendum et unde recedendum esset, definirent; atque elementorum, ex quibus ipsi constant, motum perpetuo inducerent: quae omnia *rerum* quidem *terminis circumscriptarum*, non autem Divinae propria sunt *naturae*. Porro tempus quid sonet Epicureo homini, facile patet ex ipsius Epicuri doctrina. Is enim arbitratus est tempus esse ιδιον τι συμπτωμα, *speciale aliquod adcidens*, cum diebus noctibusque, et partibus eorum connexum. Laërt. Lib. X. segm. 73 Atque eodem etiam sensu illud vocavit, συμπτωμα συμπτωματων, *adcidens adcidentium*, quod et fuse explicans apud Sext. Empiricum *Adversus Physicos* Lib. II. segm. 219. et seqq. subiicit: ἡ κινησις, ετι δε ἡ μονη, των σωματων εστι συμπτωμα, και ου χωρις χρονου *Motus, uti et mansio, est adcidens corporum. et non sine tempore.* Quamobrem tempori non esse obnoxiam immortalium Deorum naturam, ex hac ipsa doctrina deducit Lucretius.

Tempus item per se non est; sed rebus ab ipsis
Consequitur sensus, transactum quid sit in aevo;
Tum quae res instet, quid porro deinde sequatur:
Nec per se quemquam tempus sentire fatendum est
Semotum ab rerum motu, placidaque quiete.

L. I. v. 460. et seqq. Quin etiam ipse Epicurus post expositam temporis naturam, adfirmat ea, *quae ad ortum occasumque Siderum*, *atque ad similia* spectant, non adtingere Deum, qui ἁμα την πασαν μακαριοτητα εχει μετ' αφθαρσιας, *simul omnem beatitudinem cum immortalitate habet*; alioquin τον μεγιστον ταραχον, *maximam perturbationem* pateretur. L. X. segm. 76. Quae utique omnia Philodemi argumentationem explicant simul, atque confirmant.

Lin. 2. ὡρισμενος). Habes hanc vocem ab Epicuro adhibitam l. c. segm. 42. et seq. immo etiam ab ipso definitam, segm. 56.

Ibid. τον ὁσον). Attice pro το ὁσον, seu καθοσον· nisi aut suppleas ὁρον, aut scribam oscitantem incuses.

Lin. 3. et seq. κατα μερος). Placuit etiam haec phrasis Epicuro ad *particularia* designanda, l. c. segm. 55. 56. 63. et alibi.

Lin. 6. ἑνοτητας). Nobis primo videbatur Philodemus ita vocare τας ατομους, quas paullo ante στοιχεια nuncupabat. Etenim Gassendus, qui varia atomorum nomina, atque epitheta conlegit, ac explanavit, μοναδας etiam (quod idem sonat, atque ἑνοτητας) eas *ex Pythagorica quidem denominatione*, sed ad Epicuri mentem adpellatas invenit. *De Phys. Epic.* T. I. p. 100. *Lugduni* 1675. Satius tamen, locum secundis expendentes curis, duximus τας ἐξ αυτων ἑνοτητας referre ad *unum* illud, de quo paullo ante egit Philodemus, quodque ex Deorum et Siderum, eorumque *elementorum* coniunctione ab Stoicis propugnata efficitur. Epicurus enim in Epistola ad Herodotum την ἑνοτητα ιδιοτροπον *unitatem propriam* dixerat. Laërt. L. X. segm. 52., ac N. A. frequentissime Magistri sui verba eodem, ac ille, sensu adhibere consuevit.

Lin. 7. et seq. τομη πυκνωματος στερεμνιον κ. λ.). De τομη agit Epicurus l. c. segm. 43. et 56. De πυκνωματι, segm. 41. et 105. Στερεμνιον vero, ac πυκνωμα coniungit, scribens: μορφη δε εστιν αυτη του στερεμνιου γινομενη κατα το ἑξης πυκνωμα, η εγκαταλειμμα του ειδωλου· *forma autem est ipsa solidi, quae fit iuxta subsequentem condensationem, seu inmansionem imaginis*, l. c. segm. 50. Frequentius etiam memorantur τα στερεμνια, segm. 46. et alibi. Philodemi porro argumentatio ad illud redit, quod si Dii cum Astris moverentur, loca unum post alterum deberent adtingere; neque *unitas* ex Diis et Astrorum materia *constans* dividi umquam posset, ne vel minus solida, vel minus in suo cursu stabilis fieret; siquidem divisione concretionis ex Deo et Astris coalescentis ipse motus perturbaretur; sicut in caeteris solidis, si, dum cursum perficiunt, in partes dividuntur, evenire conspicimus. Caeterum Stoici, quali sophismatum adparatu hisce Epicureorum animadversionibus occurrerent; Balbus apud Tullium disertissime exponit. *De N. D.* L. II. n. 40. et seqq.

Lin. 9. et seqq. Φασιν δε κ. λ.). Ita supplentes sententiam non Philodemo, sed eius adversariis tribuimus. Isti enim somniabant Deos *volubiles*.....*ac nullo puncto temporis intermisso versari circa axem Coeli admirabili celeritate.* Cic. *De N. D.* L. I. n. 53. et L. II. n. 46. Terram vero, in qua modo *manemus*, modo *movemur*, ab ipsis Diis firmatam esse Stoici utique docuerunt. Plutarch. *De Placit. Philosoph.* L. I. c. 8. Idcirco ipsam Terram adpellari Deam Δημητραν iidem existimarunt, ut a Cicerone, Laërtio, aliisque superius didicimus.

ADNOTATIONES.

Lin. 15. et seqq. Ει γαρ κ. λ.). Respondere videtur, nisi coniecturis fallimur, praemissae Stoicorum sententiae, qua Deos soliditatis Terræ participes, et nostrorum motuum, et quietis veluti columina esse adserebant. Si id verum est, inquit N., quare non arcent Dii tot noxia, quae ab alto in Terram demittuntur? Quare descensus *concretionum* perniciosos non propulsant? Novimus profecto Epicurum, quum *De Meteoris* ad Pythoclem scriberet, presterem, fulmina, grandines, et caetera, qua *natura adversus se ipsam immittere* videtur, per *concretiones*, *et continuas densitates* explicuisse, nec Deorum subiecisse imperio, Laërt. L. X. segm. 77. et 99. et seqq. Haec Magistri scita restitutam Philodemi argumentationem satis explanant.

Lin. 20. et seq. αργον, ὥσπερ και αυτος εστιν). Fortasse interpretandum foret: *otiosum*, *uti etiam re vera est ipse Deus.* Ita nempe purum putumque eruitur Epicuri placitum. Nos vero ea verba ad aliquem Philosophum retulimus, cuius nomen in praecedenti periit lacuna, quemque convicio lacessens Philodemus *otiosum* vocat. Eratne is *ipse* Chrysippus, adversus quem plura superius legimus? Quidni? Is non eo sensu *otiosus* erat, ut nihil ageret, fuit enim πονητικωτατος· sed otio litterato semper indulgens neque remp. administravit, neque rem militarem sequutus est, neque forensibus, aut aliis negotiis incubuit, neque uxorem duxit: verum anicula contentus πεντακοσιους εγραφε στιχους ἡμερησιους, *quingentos versus quotidie scribebat.* Laërt. L. VII. segm. 181. et seqq. De eo utique illud erat pronunciandum, quod de se Scipio dicere solitus erat: *nunquam se minus otiosum, quam quum esset otiosus.* Cic. *De Offic.* L. III. n. 1.

Lin. 24. προσκατορθωσιν). Additam lexicis vocem non reiicies, lector, ubi residuas litteras, sensum, et analogiam inspicias.

Lin. 32. et seq. Ει γαρ εκ πολλων κ. λ.). De Deorum supellectili, quam Poëtae finxerunt, nemo, quod sciam, dedita opera, sed plurimi Scriptores obiter egerunt. Ridebant sane Stoici, aeque ac Epicurei, quod *vulgus .... dent (Diis) arcum, sagittas, hastam, clypeum, fuscinam, fulmen.* Cic. *De N. D.* L. I. n. 102. At haec commenta Stoicis videbantur ex illa Epicuri doctrina fluere: *eamdem esse hominum et Deorum figuram:* siquidem *omnis cultus, et curatio corporis erit eadem adhibenda Deo, atque homini: ingressus, cursus, adcubatio, inclinatio, sessio,* comprehensio. *Ibid.* n. 95. Porro ad ipsam *adcubationem* pertinebant κλιναι, quarum meminit Philodemus. Diis vero *lectos* a Poëtis fuisse adtributos, Hesiodus prae caeteris testis est locupletissimus:

Φοιβη δ' αυ Κοιου πολυηρατον ηλθεν εις ευνην.
Rursus et Phoebe Coei genialem venit ad lectum.

Theogon. v. 404.

Κουρην δ' Ιαπετος καλλισφυρον Ωκεανινην
Ηγαγετο Κλυμενην, και ὁμον λεχος εισανεβαινεν.
Puellam vero Iapetus pulchros-talos-habentem Oceanitidem
Duxit Clymenen, et eumdem lectum conscendit.

Ibid. v. 507.

Αυταρ ὁ Δημητρος πολυφορβης ες λεχος ηλθεν.
Porro hic (Iupiter) Cereris multos-pascentis ad lectum venit.


Ibid. v. 912. At vero noster Auctor, de Deorum somno acturus, illud primum minime inficiatur, quod Dii *lectis*, qui sunt apud nos, prorsus non egent; ac si forte *lectis*, caeterisque supellectilibus uti velint, ea ipsos sibi ministrare ait; ne aliorum ministerium, in suis Intermundiis collocati, frustra exposcant. Haec Philodemi mens in isto brevi sui tractatus segmento, ubi etiam ad relegendas praecedentes pagellas nos provocat, esse videtur.

Lin. 34. χατιζει). Poëticum verbum hoc initialia elementa indicare videntur. Fortasse in lacuna N. illud Homeri non importune adlegaverat.

Ηφαιστε, προμολ' ὡδε· Θετις νυ τι σειο χατιζει.
Vulcane, prodi huc: Thetis aliqua utique in re tui indiget.

Iliad. XVIII. v. 392. Philodemus autem, facile hunc versum prae oculis habuit, quem tum a Platone, tum a Metrocle, uti admodum celebrem, per παρῳδιαν usurpatum noverat. Laërt. L. III. segm. 5. et L. VI. segm. 95. Huius παρῳδιας mentionem etiam habuit Eustathius *in Homer.* l. c. Vide, quae Mericus Casaubonus, et Menagius in loca Laërtii modo adlata adnotarunt. At enim Philodemus nullam in Diis *indigentiam* agnoscens eam insinuat de Mythologicis narrationibus sententiam, quam Cicero his verbis exposuit: *haec et dicuntur, et creduntur stultissime; et plena sunt futilitatis, summaeque levitatis.* Cic. *De N. D.* L. II. n. 70.

Lin. 40. προτερον ειρηται). Ubinam hac de re disputaverit, maior Voluminis pars, uti in Praefatione monuimus, deperdita definire non sinit. Fortasse in Operis exordio Poëtarum figmenta de vitae ratione, quam Dii sequebantur, enarraverat, eorumque explicationes ab Stoicis elaboratas adiunxerat; ut hisce fundamentis doctrinae suae aliquam, si fieri posset, firmitatem compararet.



COL. XII

G. B. Casanova del. G. Casanova inc.

COLUMNA XII.

μιστιν ἐγχωρειν ὑπ' ενιοις, ἱνα ενιους διαλαβωμεν. Ατοπον μεν γαρ ειναι δοκει προχειρως, δια το μετακοσμησιν νεανικην εν ταις τοιαυταις καταστασεσι γινεσθαι περι τα ζωα, και πολλην εχουσαν θανατω προσεμφερειαν (δι' ἡν αιτιαν και περι του φθειρεσθαι την ψυχην ουκ απιθανος συντιθεται λογος ὁ μεταβαινων απο του τον ὑπνον μερη ψυχης λυειν) ενθεν ουδε τον Θεον ειναι πορρω, εν τω και ου τυγχανειν επι διαλυσιν αγωγων. Ει δε και καθευδοντι επιθετεον ονειρους, ὡς δη και διαφαινοιτ' αν ευλογον· φοβος, μη και της διανοιας αναλογοις τη του Σοφου ὑπνουμενη ταραχαις συμπαρακολουθωσιν . . . .

. . . .

. . . . νοουμεν πασαν την ασφαλειαν ειναι Θεω φρικην μη παρεχομενην. Ου γαρ κοπιαν αυτον εν πραγμασι τις νομιζει, αλλα συνεχως εγρηγορεναι δι' αιωνος τε, και δι' αλυπου βιου. Διοτι ουχ ὑποκειται ταις δειναις αλλαγαις και διαγωγης, και πρασσεσθαις μη ιδιαις και αφθαρτων, και δεχομενων αλλα ζωων. Επει δ' ὑπνος ου δεικνυται επι τοις Θεοις, ουκ αν παρεμπιπτοι, και παρ' ελαχιστον, ειναι του ἁπαντος ουδως κατ' αισθησιν απολομενου.

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . . . Ζηνων δ' εκ των διαφορων αιτιων νομιζει το δεχεσθαι μη τουτο, και το περιδεισθαι εξ οὑ μεταδιαφερει προς το δεχεσθαι αυτους, και μη δεχεσθαι, και το μη περιδεισθαι αν μεταδιαφερει προς ἑκατερον· αλλα γε διαφερει προς αφθαρσιαν την αφαιρεσιν ου μηκιστα, προς δε την φθοραν την συναφην, και μεγα δ' ουδε ταυτην. Τουτο δ' αυτο δυσπιστως αναφαινεται, το μεν αυ διαφερειν προς την αφθαρσιαν, το δε προς

censendum est nos incidere in aliquos, ut aliquos teneamus. Absurdum enim esse facile agnoscitur, quia nova *partium* ordinatio in *Somni* statu fit circa animalia, eaque multam habet cum morte adfinitatem (quam ob causam etiam de animorum corruptione non improbabile conficitur argumentum deductum ex eo, quod Somnus partes animae dissolvat), inde Deum non longe abesse, quum non pertingat quoque ad compagum dissolutionem. Si vero etiam *Deo* dormienti Somnia adponenda essent, uti profecto etiam consentaneum videri posset; timendum foret, ne *Somnia* animi perturbationes similes illis, quas dormiens Sapientis animus patitur, consequantur . . . .

. . . .

. . . . . mente concipimus omnem securitatem esse Deo, quippe qui terrorem non patitur. Non enim laborare eum in negotiis quispiam existimat, sed continenter vigilare per aeternam, et quietam vitam. Quare obnoxius non est indignis mutationibus tum ad instituendam, tum ad comparandam vitae rationem necessariis, quae animantibus immortalibus, et alias proprietates habentibus minime congruunt. Quoniam vero Somnus in Diis minime ostenditur; non utique, vel per minimum tempus, illis contingere poterit, ut amisso omni sensus vigore *torpescant*

. . . .

. . . . Zenò autem variis ex causis censet *Somnum* capere non esse idem ac *Somno* indigere: idcirco transfert ipsos *Deos* ad *eum* capiendum, et ad non capiendum; et utique non indigere transfert ad alterutrum: sed tamen *censet* ad incorruptionem ferre *Somnum* non longissime amandatum, ad corruptionem vero *Somnum* cohaerentem, neque hunc vero valde. Id autem ipsum incredibile esse patet, quod scilicet illud quidem ad incorruptionem ferat, hoc vero ad

Lin. 1. et seqq. εγχωρειν υπ' ενιοις, ινα ενιους διαλαβωμεν). Haec sententia, quae proverbii locum obtinere videtur, significat Philodemum *incidere in aliquos*, qui Deos dormientes fingunt, *ut aliquos adversarios*, Stoicos videlicet, qoi Deos nunquam quietos esse adserebant, *teneat*. Dum enim de istis victoriam se retulisse putabat, illos occurrentes reperit, qui in contraria abeuntes Diis Somnum adtribuebant, et peculiari erant confutatione perstringendi. Hanc itaque concinnandam suscipit, et *absurdum esse* dicit *a Somno Deum non longe abesse*. Enimvero quod Dii dormirent, non semel finxerant Poëtae, nec deerant, qui fabulis fidem praestarent. Ipse Iupiter Deorum Pater, Iunonis fraude, correptos Somno describitur *Iliad.* L. XIV. v. 352. et seqq. Ibi etiam Somnus ita salutatur :

Υπνε, αναξ παντων τε Θεων, παντων τ' ανθρωπων.
Somne, rex omniumque Deorum, omniumque hominum.

v. 233. Quare mirum videri nequit, si quando praeter unum Iovem et Dii et homines pariter obdormierint :

Αλλοι μεν ρα Θεοι τε, και ανερες ἱπποκορυσται
Ευδον παννυχιοι · Δια δ' ουκ εχε νηδυμος Υπνος.
Caeteri quidem Diique, et viri ex equis pugnantes
Dormiebant totam noctem : Iovem vero non tenebat dulcis Somnus.

L. II. v. 1. et seq. Haec igitur vulgi, et poëtarum deliramenta heic explodit suis argumentationibus Philodemus. Quod autem pertinet ad proverbium εγχωρειν υπ' ενιοις, ινα ενιους διαλαβωμεν, superest, ut ingenue ac libere nostram in medio ponamus opinionem. Το διαλαβωμεν, modo novam nobis Lexicographi non invideant significationem, interpretabimur ευλαβωμεν, *vitemus*, *caveamus*. Ita nimirum hoc proverbium pluribus tum Graecorum, tum Latinorum ore tritissimis respondebit: scilicet Greca sunt, *καπνον γε φευγων εις το πυρ περιεπεσον.* Μη τεφραν φευγων εις ανθρακιαν πεσης· Latina vero, *nubes captat, dum vitat humum. Incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim*, et caetera huiusmodi, quae collegit Manutius *Adag.* p. 195, 463, 858, 1451. *Florentiae* 1575. Hoc igitur sensu recto stat talo Auctoris sensus; dum enim vitare conatur Stoicos perpetuum Diis motum impertientes, incidit in Poëtas Somnum iisdem concedentes, atque hos protinus adgrediendos censet.

Lin. 5. et seqq. δια το μετακοσμησιν νεανικην κ. λ.). Cur Somnus a Philodemo μετακοσμησις νεανικη nuncupetur, et cur inter καταστασεις γινομενας περι τα ζωα recenseatur; non facile intelligemus, nisi Epicuri de Somno doctrinam in memoriam revocaverimus. Tradit nimirum iste, Υπνον γινεσθαι των της ψυχης μερων των παρ' ὁλην την συγκρισιν παρεσπαρμενων, η εγκατεχομενων, η διαφορουμενων· ειτα και συμπιπτοντων τινων τοις εσπαρμενοις, τα μεν εξωθουντων, τα δε συνταραττοντων· *quum animae partes per totam concretionem (i. e. corpus) diffusae aut cohibentur, aut distrahuntur, aut nonnulla etiam (corpuscula) in dispersas incidunt, quae partim ipsas abigant (a corpore), partim (intra corpus) conturbent.* Laërt. L. X. segm. 66. Porro hunc locum, ut pote corruptum, ita emendare, nonnullis verbis adiectis, satagit Gassendus, ut cum sequentibus Lucretii verbis ad unguem conlimet :

Principio Somnus fit, ubi est distracta per artus
Vis animae, partimque foras eiecta recessit,
Et partim contrusa magis concessit in altum :
Dissolvuntur enim tum demum membra, fluuntque.
Nam dubium non est, animai quin operae sit
Sensus hic in nobis; quem quum Sopor impedit esse,
Tum nobis animam perturbatam esse putandum est,
Eiectamque foras, non omnem; namque iaceret
Aeterno corpus perfusum frigore lethi etc.

L. IV. v. 914. et seqq. Ex his sane eruimus ita ex Epicuri mente per *Somnum* animam *constitui*, ut eius *partes*, seu eius *vires partim eiectae, et partim contrusae novum* in ipsa *statum* efficiant. Idcirco autem Somnus ab N. A. *multam habere* dicitur *cum morte adfinitatem*, seu *mortis similitudinem*; quia Leucippus, quem tum Democritus, tum Epicurus omnium deliramentorum Magistrum habuerunt, Somnum repetit ex secretione tenuiorum caloris animalis partium; atque arbitratur nimiam earum secretionem morti aditum aperire, ut notat Plutarchus *De Placit. Philos.* L. V. c. 25. Quod et Lucretius exponens scribit :

Maior enim turbae disiectus materiai
Consequitur letho, nec quisquam expergitus extat,
Frigida quem semel est vitai pausa sequuta.

L. III. v. 941. et seqq.

Lin. 6. et seq. δι' ἡν αιτιαν κ. λ.). Plutarchus duas proponit Quaestiones, alteram *De Somni Natura*, alteram de eius sede, num scilicet *in anima sit, an in corpore*: atque Alcmaeonis, Empedoclis, Diogenis, Platonis, Stoicorum, et Aristotelis sententias, quae in diversa abeunt, enumerat. At vero ipsae, quotquot sunt, in una tantum re conveniunt, qood eamdem esse causam tam Somni, quam mortis, ac secundum magis et minus solum differre statuerint. *De Placit. Philos.* L. V. c. 24. et seq. Itaque Philodemus non Leucippum tantummodo, ut supra vidimus, sed celebriores etiam aliarum Αἱρεσεων Antesi-

gnanos sequi se arbitrabatur, ubi a Somno argumentum pro animae mortalitate confici posse adfirmabat. Quin etiam Epicurum ipsum imitabatur, qui vitam animae in πανaισθησια, *omnium sensuum vigore*, reponit; mortem vero obvenire pronunciat, quando ψυχης μερη απηλλαγμενα, *animae partis abactae* sint, et desit αισθησις, *sensus*. Laërt. L. X. segm. 65: atque *argumentum* huiusmodi doctrinae *etiam petere videtur ex Somno, qui dici solet germanus et imago mortis*, uti notat Gassendus, *De Physiol. Epic.* pag. 274. T. I. *Lugduni* 1675. Quanti vero valeat tam putidum argumentum, immo et ipsa Philodemi hac de re doctrina, vel inde intelligi potest; quod nemo ipsorum etiam Philosophorum, qui Somnum morti adfinem adpellarunt, ex hoc ad probandam animae mortalitatem aliquid eruendum censuerint: si unum excipias Leucippum, *a quo Democritus eruditus haereditatem stultitiae reliquit Epicuro*, ut Lactantii verbis utamur, *De Falsa Sap.* L. III. c. 17. Quid quod ex notissimis recentioris Physiologiae scitis Somni causa a causa mortis toto distat Coelo? Quid quod in *partes* animus, ut simplex, dividi nequit: uti iam evidentissimis probationibus compertum est? Quid dicam denique de rationibus, quae animos esse immortales meridiana luce clarius evincunt? Vide Card. De Polignac in *Antilucret.* L. IX. v. 1095. et seqq. et Huetium in *Quaest. Alnet.* L. II. c. VIII. n. 3. Porro heic φθιρεσθαι pro φθειρεσθαι habes αρχαϊκως scriptum.

Lin. 8. et seqq. τον ὑπνον μερη κ. λ.). Supplementum divinando proponitur; sed spatio, litterarum indiciis, et contextu divinatio fulcitur. Habemus etiam Epicuri verba nuper adlata, quibus in Somno τα της ψυχης μερη παρεσπαρμενα dicuntur. Laërt. L. X. segm. 66. Nos pro παρεσπαρμεν heic legimus λυειν, tum ob significationis adfinitatem, tum ob interstitioli mensuram, tum denique ob sequentem vocem διαλυσιν, quae ei respondet. Postea subduntur verba, ὑπνου τον Θεον ειναι πορρω εν τω και ου τυγχανειν επι διαλυσιν αγωγον, quae partim extant in autographo, partim extitisse autumamus. Sic enim Auctoris contextus recte procedit, in quo Somnus procul a Diis amandatur; quia hi partes nullas habent, quae Somni occasione *disseminari*, *contineri*, *vagari*, *incidere* possint, ut in animantium Somno fieri docuerat Epicurus. Erant enim Epicureorum Dii, ut eos adpellat Balbus, *Monogrammi: Epicurus*, ait, *Monogrammos Deos, et nihil agentes commentus est. De N. D.* L. II. n. 59. Nimirum *Monogrammum nuncupatur a pictoribus id, quod solis lineis informatum ac descriptum est, nullis dum coloribus adhibitis: hinc homines Monogrammi per translationem, ut docet Nonius, homines macie praetenues, et quasi decolores adpellantur*, Lambin. in h. l. Adde quod Dii, quum essent cuiusvis mortis immunes, Somno, utpote mortis germano, carere omnino debebant. Quapropter suppletae voculae et haec omnia exprimunt, et sermonem Epicureo Philosopho satis convenientem concinnant.

Lin. 12. et seqq. Φοβος, μη και της κ. λ.). Cur Sapientes etiam per Insomnia turbari dicat Philodemus, ab altero Epicuri sectatore fusius explicatur:

Magna etenim saepe in Somnis faciuntque, geruntque:
Reges expugnant, capiuntur, praelia miscent;
Tollunt clamores, quasi si iugulentur ibidem:
Multi depugnant, gemitusque doloribus edunt,
Et quasi pantherae morsu, saevive leonis
Mandantur, magnis clamoribus omnia complent.
Multi de magnis per Somnum rebu' loquuntur,
Indicioque sui facti persaepe fuere:
Multi mortem obeunt, multi de montibus altis
Se quasi praecipitant ad terram corpore toto
Exterrentur, et ex Somno, quasi mentibu' capti,
Vix ad se redeunt permoti corporis aestu, etc.

Lucret. L. IV. v. 1007. et seqq. Alibi fere eadem canit:

Quippe ubi se multi per Somnia saepe loquentes
Aut morbo delirantes procraxe ferantur,
Et celata diu in medium peccata dedisse.

Lib. V. v. 1157. et seqq. Quum igitur ex Epicuri doctrina Somnum necessario sequantur Insomnia, eaque frequenter vel Sapientium animos perturbent; non temere argumentari Philodemus sibi videbatur, ubi inde deducebat Deos non posse dormire, ne amissa tantisper beatitudine ab Insomniis terreantur, uti viris etiam magna sapientia praeditis identidem evenit.

Lin. 16. et seq. νεμειν πασαν την ασφαλειαν κ. λ.). Quomodo Epicurus *omnem securitatem Deo* in suis Intermundiis comparaverit, supra p. 10. ex Cicerone didicimus; qui etiam inquit: *Intermundia, quae nec sunt, nec esse possunt, intelligimus. De Fin.* L. II. n. 75. Inde suppleta verba desumsimus.

Lin. 18. Ου γαρ κοπιαν κ. λ.). Epicurus, ut vidimus, a negotiis Deos suos liberabat: caeteri Philosophi eos providentissimos esse comprobabant; sed *nemo censebat* eos in expediundis *negotiis laborare*: atque idcirco εν πραγμασι τις νομιζει, ut indicia postulant, legimus. Certe quidem ipse Phoebus, seu Sol, quem multis magnisque curis onerabant fabulae, ακαμας, *infatigabilis*, apud Homerum *Iliad.* XVIII. v. 484. aliosque passim audit. Idcirco autem huc devenit Philodemi oratio, dum de Deorum Somno agit; quia si Deorum vires nullo gravantur labore, minime indigent Somno, qui ad vires reficiendas ab ipsa natura animantibus conceditur. Audi Lucretium L. IV. v. 948. et seqq.

ADNOTATIONES.

Et quoniam non est, quasi quod suffulciat artus;
Debile fit corpus, languescunt omnia membra,
Brachia, palpebraeque cadunt, poplitesque procumbunt.


Lin. 19. et seq. συνεχως εγρηγορεναι κ. λ.). Verba αιδιον, και ακοπον βιον supplemus ex ipsissimis, aut similibus, quae superius ab Epicureis de Diis usurpata reperimus. Sententia autem his verbis subiecta per opportunum Tullii locum explicatur, in quo ad Philosophum Epicureum ita sermo vertitur: *Cogitant, inquis, (Dii) adsidue beatos esse se; habent enim nihil aliud, quod cogitent, in mente. Comprehende igitur animo, et propone ante oculos Deum nihil aliud in omni aeternitate, nisi, Mihi pulchre est, et ego beatus sum, cogitantem. De N. D.* L. I. n. 115.

Lin. 25. του ἀπαντος κ. λ.). Haec fere verba occurrunt apud Epicurum. Laërt. L. X. segm. 65. et supplementum non absonum monstrant.

Lin. 31. et seqq. Ζηνων κ. λ.). Zenonia, quem in Praefatione ostendimus in hoc Tractatu fuisse a Philodemo expositione donatum, sententiam heic videre videmur. Certe quidem δογματα, quae Philosophus ille sequebatur, placidam quietem Diis minime auferebant; haec autem ad Somnum adeo accedit, ut Somnum ab Diis *non longissime amandandum* utique pronunciarit, ne ipsa quies exsularet. Contra vero Somnum illum necessarium, qui animalium etiam nolentium artus occupat, et omnem mentis aciem retundit, quemque ipse *cohaerentem* adpellat, Diis minime convenire adfirmabat Zeno. Quapropter Deos dormiendi quidem necessitate immunes, sed ad dormiendum, si libeat, idoneos; atque idcirco *ad utrumque* recte comparatos dicit: subiicitque ex sua philosophandi ratione Somnum priore sensu adceptum *ad incorruptionem ferre*, quia ab immortalitatis quiete non distat, altero autem sensu *ad corruptionem, etiamsi non multum, conferre;* siquidem Somni necessitas cum debilitate coniungitur, sed non adeo istam producit, ut corruptionem efficiat. Etsi enim Somnus sit *imago, vel simulacrum mortis,* ait Cicero *Quaest. Tusc.* L. I. n. 92, et *nihil morti sit tam simile, quam Somnus.* Id. *De Senect.* n. 80; ipse tamen corpus per se nequit corrumpere, immo est *perfugium omnium laborum, et solicitudinum.* Id. *De Divin.* L. II. n. 150. et *sopore placantur artus languidi,* Id. *ibid.* L. I. n. 44. Nimirum ad instaurandas corporis vires adhibendum esse Somnum, sententia est omnium pene Philosophorum.

Lin. 32. et seq. το περιδεισθαι) Quin verbum hoc novum caeteris απο του δεισθαι, *egere*, compositis addentes, quorum recensio prostat in Lexicis, semel atque iterum legamus, nihil profecto prohibebit. Eius enim vim sensui adcommodatissimam remur; in compositione enim propositio περι modo *circum*, modo *valde* significat. Quamobrem περιδεισθαι aut *undequaque indigere*, aut *valde indigere* interpretabimur; et sermo perbelle stabit. Quod si sensum in Glossariis obvium τω περιδεισθαι adtribuas, ut sit απο του περιδειν, et denotet *circumvinciri, circumligari;* ab nostra versione non longe abibis, quia idem erit, *Deos Somno minime indigere*, ac *Deos dormiendi necessitate haud circumvinciri.*

Lin. 33. μεταδιαφερει). Satis perspicua est verbi lectio, quae etiam mox redit; et pariter satis evidens eius significatio, etiam si hactenus Lexicographos vox ipsa praeterierit. Si enim postmodum το διαφερειν, *ferre*, sensu imperante vertimus; non aliter το μεταδιαφερειν vertendum erat, quam *transferre.*



G.B. Casanova dis. R. Biondi inc.

COLUMNA XIII.

διαλυσιν· ει μη τοιον ὑπνον ελαμβανεν· ἠ παραπλησιον τι παθος, ὡ ποτε πασχομεν ἡσυχαζοντες μεν, ουπω δε καθευδοντες ὁμολογουμενως· ὁπερ ουδε καταλειπειν απεκοπτεν. Εξεσται δ' επι τον τοπον ακριβεστερον επιστησαι. Χαριν γαρ του τη της τροφης αναδοσει τον ὑπνον οικειον ὑπαρχειν φασιν οἱ περι τον Αντιφανην, ουκ αν βιασθειημεν απολειπειν, ὁρωντες ουδεν α... απολημμενον ... εκεινου τας αναδοσεις.

Ὁταν δε ποιαν λαβωμεν τροφην, και παντα πασιν τοις δε Θεοις προσλαμβανομενον, και λεπτομερες επινοουντες, και νοστιμον παν, και προστιθεμενον, ... ὡς κατα ... παρασκευ... μενην, ουδ... πωρ..., ... παρακελε... σ... φερειν· μη ... λεγωμεν. Δοτε ει αυτη ἡ τροφη Θεοις νοειται, και τα παρακολουθουντα δια την της φυσεως παραλλαγην, τις αναγκη, παρον την ποιοτητα φυλαττεσθαι, μονον δ' ἡσυχιαν αναλογουσαν, ει περ αρα, καταλιπειν; Νοητεον δε κατα τον Ἑρμαρχον, και τον Πυθοκλεα τα κλισια, και περιτιθεμενους τους Θεους· τουτου γαρ αν χωρις, ουδ' επι τοιαυτα ζωα νοητομεν, οἱα προσυνηφαμεν· ὡς ουδ' ιχθυς απροσδεης του ὑδατος, ουδ' ορνις αν πτερων εις την διαχωμαν, ουδ' ἁρμαλεα, η τα τοια... ειται ... των τροχων. Τοιουτων δε οντων των Θεων

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

μητε δειν πιζον, μητε φθογγον εκλαλειν ου προσδεομενον αναπνοης ου φητεον, ὡς ουδ' επισπαν το της ευπνευστος, η απολαυσ... του θερμοτητος. Και φωνη δε χρησθαι κλεομεν τη προς αλληλους ρησιον· ου γαρ μαλλον ευδαιμονας, και αδιαλυτους νοησομεν, φησι, μη φωνουντας, ουδ' αλληλοις διαλεγομενους, αλλα τοις ενεοις ανθρωποις ὁμοιους. Τῃ γαρ οντι φωνῃ χρωμε-

dissolutionem: nisi talem intelligeret Somnum, seu aliquam adfectionem similem illi, quam aliquando patimur quiescentes quidem, sed nondum proprie dormientes: quod utique neque languorem excludit. Id autem hoc loco adcuratius statuere licebit. ¶ Quia enim ad cibi digestionem Somnum adcommodatum esse docet Antiphanes, utique ab nostra sententia recedere non cogimur, quum videamus nihil in coelo *esse*, quod a multo tempore digestiones sit exceptum. Quando vero cibum certis qualitatibus praeditum intelligamus; *aliquid scilicet* cogitantes, quod et ab hisce omnibus omnino Diis sumatur, et subtile, et veluti totus succus, et adpositum sit; quodque non quasi plurima praeparatione conficiatur, neque luctum, aut adhortationes *ministrantibus* inferat; nequaquam huiusmodi opinionem absurdam dicimus. Quare si ipse cibus, et ea, quae sequuntur ob naturae vicissitudinem, in Diis cogitantur; quid opus est, quum debeat *eorum* qualitas constanter servari, ut tantum quies *huic qualitati* consentanea, si fieri posset, deseratur? Cogitandum est autem ex Hermarchi, et Pythoclis sententia *esse* tabernacula, et circumpositos Deos: sin minus, neque *eos* huiusmodi animalia reputabimus, qualia *esse* iam consensimus; quemadmodum neque piscis censetur esse, qui non indiget aqua, neque avis, quae non indiget alis ad volatum, neque currus, aut alia huiusmodi, quae non indigeant rotis. ¶ Tales autem quum sint Dii, *oportet eos loqui inter se*. . . . . neque dicendum est sermonem, aut sonum proferri ab aliquo, qui respiratione non indigeat; sicuti *neque dicendum est* hunc sibi non vindicare *pulmonis* dilatationem, et, qui inde sequitur, calorem. Voce autem *Deos* uti, quae mutuo audiatur, dicendum est; non enim eos feliciores, et molestiae immuniores cogitabimus, inquit; si ipsos non habentes vocem, neque mutuo loquentes, sed mutis hominibus similes cogitabimus. Re enim vera quum voce

CAP. XXV. De cibo Deorum.

CAP. XXVI. De eorum loquela.

Lin. 4. καταλειπειν.). Vertimus *languorem*, memores Tullianae illius loquntionis, quae adprime ad rem facere videtur: *quum dormientibus ea pars animi, quae mentis et rationis particeps sit, sopita langueat. De Divin.* L. I n. 60.

Lin. 6. et seq. τῃ της τροφης αναδοσει κ. λ.). Haec Antiphanis sententia Philodemo displicere non poterat, quia nimirum Somni originem a cibo repetebant Epicurei, uti probat Lucretius:

Deinde cibum sequitur Somnus, quia quae facit aër,
Haec eadem cibus, in venas dum dîditur omnes,
Efficit; et multo Sopor ille gravissimus extat,
Quem satur, aut lassus capias; quia plurima tum se
Corpora conturbant magno contusa labore.
Fit ratione eadem coniectus porro Animai
Altior, atque foras eiectus largior eius,
Et divisior inter se, ac distractior intus.

L. IV. v. 951. et seqq. Quapropter ad rem aliqua de Deorum cibo N. A. huc inserit, ne hanc quaestionis partem praeterisse videatur.

Lin. 7. οἱ περι τον Αντιφανην.). Plures Antiphanis nomine celebres fuisse Scriptores probat Fabricius *Bibl. Graec.* L. II. c. 22. Vol. I. p. 744. Sed ego quovis pignore contenderim heic memorari Antiphanem Delium, qui Medicus fuit, et Librum titulo Πανοπτην, seu, ut corrigit Tiraquellus, Παροξεων, *De Morbis valde acutis* conscripsit. Vide etiam Haller. *Bibl. Med.* L. I. §. 37. Is enim μιαν των νοσων αιτιαν ειρηκε, των εδεσματων την πολυειδιαν, *unam morborum causam esse dixit, ciborum varietatem.* Clem. Alexandr. *Paedag.* L. II. c. 1. Quum itaque de Deorum *cibo*, ac de morbis per cibum in Deorum natura minime creandis heic agat Philodemus; quemnam opportunius citasset, quam Medicum a cibo aegritudines omnes repetentem? Quare si praeter locum Antiphanis a Clemente modo memoratum, alterum Galeno περι Τοπων L. V. c. 9. ac tertium Coelio Aureliano *Chronic.* L. IV. c. 8. debemus; gratia quoque habenda est Philodemo, quod huius Auctoris verissimam sententiam posteris tradiderit.

Lin. 10. et seqq. Ὁταν δε ποιαν λαβωμεν τροφην κ. λ.). Cotta Stoicorum patronus Velleium Epicureum sic interpellat: *quem cibum igitur, aut quas potiones, et florum varietates, aut quos tactus, quos odores adhibebitis ad Deos, ut eos perfundatis voluptatibus? At Poëtae quidem Nectar, et Ambrosiam epulas comparant, et aut Iuventutem, aut Ganymedem pocula ministrantem. Tu autem, Epicure, quid facis? Neque enim unde habeat ista Deus tuus, video, nec quomodo utatur. Locupletior igitur hominum natura ad beate vivendum est, quam Deorum.* Cic. *De N. D.* L. I. n. 112. Hisce interpellationibus nusquam Velleius, aut alius Sectae eiusdem fecerat satis: primus, qui respondeat, est Noster. Lucretius enim hac de re paucis, et admodum amplis verbis contentus cecinerat:

Omnia suppeditat porro natura, neque ulla
Res animi pacem delibat tempore in ullo.

Lib. III. v. 23. et seqq. Descriptionem itaque cibi, quo Dii utuntur, eam exhibet Philodemus, quae ab Ambrosia non admodum distat; Ambrosiam enim Deorum τροφην adpellat etiam Ibycus apud Athenaeum L. X. *Deipn.* L. II. c. 2. eiusque παρασκευασιαν habes apud Eust. p. 607. 1170. 1652. et seqq. *Romae* 1642. Hanc porro Stoici poëtarum figmentum recte existimantes, procul ab Deorum suorum coetu abiiciebant; siquidem Tullius, *non enim*, inquit, *Ambrosia, aut Nectare Deos laetari arbitror. Quaest. Tuscul.* L. I. n. 65. Heic itaque Noster ad Poëtas accedit, ut ob Stoicis aufugiat.

Lin. 14. ουδε πωρον.). Hoc ita legentes fabulam Ἡβης, *Iuventae*, ab Auctore indicari putavimus; quae pocula administrans cecidit, atque a pincernatus officio non sine, uti par erat, *moerore* amota est. Vide de hoc πωρω Winckelmann. *Mon. Ined.* T. II. n. 16. Quod si πωρον non πενθος, uti Schol. Arist. in *Plut.* v. 3. interpretentur, sed παθος, uti Suidas docet h. v., *aegritudinem*; ea nominis vis erit, ut ab esca Deorum omnia auferantur, quae tum animi, tum corporis *aegritudinem* adferre, vel cum hac inter edendum coniungi possint.

Ibid. παρακελευσιν.). Dii scilicet crebro *adhortabantur*, ex poëtarum fabulis, eos, qui sibi dapes adponerent. Id autem quam foret molestum, lepide suo more describit Lucianus; ubi Mercurium inducit, qui aliquando Iovis pincerna fuerat, Matri suae Maiae multiplices curas et molestias suas multo cum taedio exponentem, *Deorum Dial.* XXIV. et Iunonem fingit Hebes, et Vulcani in Nectare ministrando labores memorantem, *Dial.* V. Merito igitur N. A. huiusmodi *adhortationes*, utpote Diis indignas, respuit. Fortasse respuit et alias, quibus convivae ad bibendum invicem sese incitabant, iuxta illud: η πιθι, η απιθι, *aut bibe, aut abi.*

Lin. 15. μη τοιαυτην δοξαν ματαιαν λεγομεν.). Haec verba, ut pote a Philodemo passim usurpata, aliis periodo concludendae, complendoque versui aeque opportunis praetulimus. Caeterum si quispiam legere maluerit: μη τοιουτο αλογον ειναι ἡγουμεθα, seu potius: μη τι ατοπον επι τοις Θεοις νοειται, aut aliud eodem recidens, libentissime manum dabimus.

Lin. 20. κατα τον Ἑρμαρχον.). De Hermarcho nihil est, quod plura dicamus; quum satis superque tum in *Antiquit. Hercul.* Vol. V. p. 71. tum in *Hercul. Volum.* T. III. p. 50., et T. IV. Praef. p. II.

disseruerimus. Ubinam sententiam a N. A. laudatam is protulerit, qui plures conscripsit libros, eosque teste Laërtio, L. X. seg. 24. *pulcherrimos*, divinare quis posset?

Ibid. και τον Πυθοκλη.) Residua elementa, et sensus heic *Pythoclis* nomen indicant. Hunc quoque inter Scriptores Epicureos esse recensendum discimus a Plutarcho *Adv. Colot.* p. 1124. et *Quod non possit suaviter vivi secundum Epicurum* p. 1094. Certe quidem is Epicuri doctrinam, a quo πολυθρυλλητον Epistolam adcepit, in aliquo Opere defendens, sententiam a Philodemo adlegatam litteris mandavit.

Lin. 21. κλισια.). Vertere possumus *convivia*, ex quorumdam Lexicographorum sententia. Neque enim Epicureus Scriptor aliquam volnptatem *convivio* optabiliorem noverat, neque de Deorum epulis rara erat apud veteres memoria. Utrumque adeo notum est, ut frustra tempus in recitandis testimoniis tereremus. Quo pacto ea Lucianus irrideat, vide in *Dialog. Deorum* VI. et alibi. Verum hac voce indicari ευτελες οικημα, *bene paratam habitationem*, et οικον οικητικον, και ευτελη, και οιον τινα κλισιαν, *domum habitabilem, et bene paratam, et veluti quoddam tabernaculum*, docet Eustath. in *Odyss.* L. XXIV. v. 207. et alibi. Caeterum habitacula Deorum, quae Graeci δομους αστεροεντας, μεγαρα, et μελαθρα passim nuncuparunt, κλισια adpellare videtur Philodemus, ut ad *convivii*, de quo agit, significationem propius adcedat. Iuxta γαλαξιαν ea conlocarunt poëtae:

Est via sublimis Coelo manifesta sereno,
Lactea nomen habet, candore notabilis ipso.
Hac iter est Superis ad magni tecta Tonantis,
Regalemque domum; dextra, laevaque Deorum
Atria nobilium valvis celebrantur apertis, etc.


Ovid. *Metamorph.* L. I. Fab. VII. v. 6. et seqq.

Lin. 23. προσυνηΦαμεν.) Novum procudisse videtur *decompositum*, ut perspicue exprimeret tum ab Stoicis, tum ab Epicureis Deos Ζωα, *Animalia*, fuisse sollemni consensione iam definitos, et passim adpellatos.

Lin. 26. Τοιουτων δε οντων των Θεων.). Heic a conviviis ad loquelam Deorum transire putavimus Philodemum, ac propterea nonnullas refinximus voculas. Convivium enim sine colloquio celebrari apud veteres non poterat: immo hi *propter sermonis delectationem tempestivis conviviis delectabantur.* Cic. *De Senect.* n. 46. Plutarchus vero testatur Epicurum, plurium Philosophorum exemplo, αναγραψασθαι λογους κατα τον ποτον γενομενους, *conscripsisse colloquia in convivio habita. Sympos.* L. I. c. 1. Quin etiam εν Επικουρου συμποσιω κολακων εστιν αγυρις αλληλους επαινουμενων· *in Epicuri convivio assentatorum turma est esse invicem laudantium*, inquit Athen. *Deipnosoph.* L. V. c. 28. Ad Deos quod adtinet, hi consilia interdum habebant εν τω συμποσιω κατ᾽ εθος παλαιον τε, και σοφον, *in convivio more maiorum, et sapientium.* Eustath. *Iliad.* IV. p. 331.

Lin. 34. ου προσδεομενον αναπνοης.). Quum Deis loquelam concederet, liberaliter etiam *respirationem*, et *pulmonum dilatationem* (seu διαστολην, και συστολην) *et eum, qui inde sequitur calorem* ipsis impertiebatur Philodemus. Videtur enim obiecta sibi ab Stoicis diluenda perpetuo suscepisse, ac praesertim ea, quae apud Tullium legimus: *Tuus Deus, (o Epicure) non digito uno redundat, sed capite, collo, cervicibus, lateribus, alvo, tergo, poplitibus, manibus, pedibus, feminibus, cruribus. Si ut immortalis sit, quid haec ad vitam membra pertinent? Quid ipsa facies? Magis illa, cerebrum, cor, pulmones, iecur: haec enim sunt domicilia vitae. De N. D.* L. I. n. 100.

Lin. 36. κλινομενη.). In αυτογραφω legimus κλειομεναι, erroremque tribuimus scribae, qui a dictante deceptus est. Inde eruimus ι, et υ, uti αι et η adeo adfini sono pronunciata fuisse, ut aures exscribentis facile alterum pro altero audirent: quod utique in veterum horum Voluminum scriptura quum saepe observetur, non leve argumentum ad rectam litterarum pronunciationem definiendam grammatistis praebebit.



ΝΩΝΗΜΩΝΟ ΜΗΤΑΠΕΠΗΡΩΜΕΘΑΤΟ ΕΟΥΣ
ΗΠΕΠΗΡΩΣΘΑΙΛΕΓΕΙΝΗΜΗΚΑΤΑ ΘΗΜΙΝΟΜΟΙ
ΩΣΘΑΙΜΗΔΕ ΣΜΗΔΕΤΕΡΟΝΕΚ ΟΠΕΤΟΤΩΝ
ΑΝΑΦΘΕΙ ΑΣΑ ΥΠΕΡΕΥΗΘΕΣΑ ΚΤΗΣ
ΠΕΤΟΥΣΟΜΟΙΟΥ· ΤΟΙΣΣΠΟΥΔΑΙΟ ΚΟΙΝΟΛΟΓΙΑΣΑ
ΦΑΤΟΝΗΔΟΝΗΝΚΑΤ ΟΥΣΗΣ ΚΝΗΔΙΑΓΕΤΗΝΕΛ
ΛΗΝΙΔΑΝΟΜΙΣΤΕΟΝΕΧΕΙΝΑΥΤΟΥΣΔΙΑΛΕΚΤΟΝ
ΗΜΗΠΩΡΡΩΞΑΣΑΡΕ ΣΔΕΣΤΙ ΤΩΚΤ ΝΕ
ΣΟΦ ΑΝΤΕ ΕΓΟΝΤΑΙΜΗΠΟΛΥ
ΔΙΑΦΕΡΟΥΣΑΙΣΚΑΤΑΤΑΣΑΡΘΡΩΣΕΙΣΧΡΗΣΘΑΙΦΩ
ΝΑΙΣΚΜΟΝΟ ΟΙΔΑΜΕΝΓΕΓΟΝΟΤΑΣΟ ΟΥΣΕ
ΝΙΔΙΓΛΩΤΤΗΧΡΩΜΕΝΟΥΣ ΕΠΕΙΚΑΙΤΑ ΑΛΛΗΛΩΝ
ΕΙ ΕΚ
ΝΤΙ
Α ΑΝ
Α ΣΟΝΔΙΑΤΗΝΑΡΧΙΚΗΝ ΠΗΡΞΕΓΕΝΕΣΙΝ
ΕΠΙΤΕΤΑΛΗΜΕΝΙ ΙΝΟ ΝΑ ΤΟΥΤΩΝΤΙΑΝΕΤΙ
ΜΗΚΥΝΟΙΜΕΝΑΛΛ ΤΟΝΠΕΡΙΤΩΝΠΡΟΧΕΙΡΙΣ
Θ ΤΩΝΛΟΓΟΝ ΜΑΤΙΖΟΜΕΝΤΟΤΑΠΟΙΑ
ΔΕΙΞΗ ΙΝΚ ΔΙΔΟΝΑΙΜΕΝΤΟΙΠΕΡΙΘΕΩΝ
ΚΤΑΠ ΜΗΖΗΤΕΙΝΜΗΔΑΠΟΔΙΔΟΝΑΙΧΑΡΑΚΤΗ
ΚΩΣ ΕΠΕΙΣΥ Α ΝΤΕΣΙΝΑΚΤ ΘΕΛΚΟΝΤΩΝ
ΧΡΗΣΟΦ
Ε
Λ
ΠΟΛ
Ε
ΑΚ
ΚΑΘΑΠΕΡ
ΗΧΡΙ ΝΕΣΚΠΟΙΑΙ
Ι Ν ΚΑΤΑ ΚΑ
ΝΑΔΙΔΟΜΕΝΗΙΚΕΙΣΔΙΑΧΩΡΗΣΕΙΣΕΡΧΟΜΕΝΗΙ
ΚΕΝΩΣΗΜΩΝ
ΜΟΡΦΩ ΔΙΑΤΩΝ ΩΗΣΕΩΝΚΑΘΟΛ
ΨΕΙΣΑΠΟΛΑΜΒΑΝΟΥΣ Ν ΠΑΙΤΩΣΙΚΤΑΕΠΙΜΕ

COL. XIV

G. B. Casanova dis. L. Corazza inc.

COLUMNA XIV.

νων ἡμων, ου την λαλητα πεπηρωμεθα· τους Θεους η πεπηρουσθαι λεγειν, η μη κατα ταυθ' ἡμιν ὁμοιωσθαι μηδε χρ... ς μηδ' ἑτερον εκκοπτοντων αναφθεγκτας, αλλ' ὑπερ ευηθεις αιρετας και της προς τους ὁμοιους τοις σπουδαιοις κοινολογιας αφατον ἡδονην καταχεουσης. Και νη Δια γε την Ἑλληνιδα νομιστεον εχειν αυτους διαλεκτον, η μη πορρω· τας αρετας δε συν τω λογω, και την εν τω διαλεγεσθαι επιστημην, και φρονησιν των Σοφων αντεχειν. Και γαρ αυτοι λεγονται μη πολυ διαφερουσαις κατα τας αρθρωσεις χρησθαι φωναις, και μονον οιδαμεν γεγονοτας Θεους Ἑλληνιδι γλωττη χρωμενους. Επει και προς αλληλων εν τω διαλεγεσθαι ἑκαστος Θεος ἡδονην εχει, τι που εναντιον, ταις ιδιαις οικειουμενον αρεταις τους ὁμοιους δεχεσθαι, και ου παν το αλλοτριον, ὁσον δια την αρχικην ὑπηρξε γενεσιν; Επιτετμημενων ουν αυ τουτων, τι αν ετι μηκυνοιμεν αλλως τον περι των προχειρισθεντων λογον; Διο χρηματιζομεν το, τα ποια δει ζητειν, και αποδιδοναι μεντοι περι Θεων, και τα ποια μη ζητειν, μηδ' αποδιδοναι, χαρακτηρικως γε επισυναγοντες, ἱνα και των Φελκοντων τα ποια χρη Σοφων αἱ δοξαι διαλαμβανονται

. . . .

τη τροφη χρωνται· και ουκ οιδαμεν τινες, και ποιαι εισιν αν αἱ καταστασεις αυτων επι τροφη και αναδιδομενη, και εις διαχωρησεις ερχομενη, και κενως ἡμων επιδεξαντων, ὁτι και τας εκμορφωσεις, και δια των ζωησιων καθολου ληψεις απολαμβανουσι, και απαιτωσι, και τα επι με-

utamur nos, in membris ad loquendum destinatis mutilati non sumus: Deos vero aut mutilatos, aut in hoc dissimiles nobis dicere non licet; uti neque habentes aliud quidpiam, quod sermonem impediat; sed *eos* supra omnem probitatem eligentes etiam cum aliis, qui probis viris similes sunt, colloquium ineffabili ipsos voluptate perfundens. ¶ Et per Iovem censendum est eos Graeca uti lingua, aut parum inde discedere: virtutes vero una cum sermone, et in disputando scientiam, et prudentiam Sapientium retinere. Etenim ipsi dicuntur uti vocibus, quae in articulationibus non valde differunt *a Graecis*; atque tantummodo novimus genitos fuisse Deos Graeca lingua utentes. Quandoquidem etiam singuli Dii ab aliis mutuo in conloquendo voluptatem sibi comparant, quid utique prohibet, *ipsos* propriis virtutibus innutritos ad suam familiaritatem admittere *Deos* sibi similes, non autem omne id quod tantum alienum est, quantum propter primitivam originem fuit, *scilicet homines*? ¶ Quum igitur haec breviter tractata sint, quid utique adhuc sermonem de rebus iam expositis ulterius protrahamus? Quapropter hoc pro certo statuimus: *videlicet* quaedam oportet quaerere, et definire de Diis; quaedam vero nec quaerere, nec definire, peculiari distinctione ipsa colligentes, ut etiam Sapientium ea, quae oportet, deducentium sententiae admittantur. . . . .

CAP. XXVII. Quanam lingua utantur Dii.

CAP. XXVIII. Conclusio.

. . . .

cibo utuntur; et minime novimus, quae, et quales sint eorum *Deorum* constitutiones circa cibum tum per membra distribuendum, tum ad egestiones devenientem; etiamsi temere admittamus, quod *Dii* et efformationes, et generatim nutritiones per vitales vires excipiant, exigantque, ea etiam, quae ad singulas partes spectant,

Lin. 1. ου τα λαλητα πεπηρωμεθα.). Ita leginus, partim litterulas supplendo, partim levem librarii errorem emendando. Λαλητα vero interpretati sumus *membra ad loquendum destinata*, subaudientes scilicet κωλα. Eustathius enim parum hinc distare videtur, ubi hominem adpellat λαλητον ζωον, ὡς λαλουν, *animal loquendi potestatem habens, ut pote quod loquitur.* p. 873. *Romae* 1550. Heic porro Philodemus ab hominibus ad Deos, veluti *a minori ad maius*, ut Scholae loquuntur, argumentum conficit, ut probet istos omnia habere membra, sine quibus loquela obtineri nequit. Philodemus, inquam, eo respicit, ut Zenonis sui, cuius in extrema antecedentis pagellae ora sententiam recitaverat, adposito verbo, Φησι, quique Deos non *cogitabat mutis hominibus similes*, doctrinam enucleet.

Lin. 6. et seqq. Και νη Δια γε την Ελληνιδα, κ. λ.). Locus iste novam investigandae Epicureorum doctrinae lucem adfert, seu potius ad refellenda eorum dogmata validum praebet argumentum. Satis enim notum est Epicurum docuisse apud homines τα ονοματα ἐξ αρχης μη θεσει γεγονεναι, αλλ' αυτας τας φυσεις των ανθρωπων καθ' ἑκαστα ἐθνη ιδια πασχουσας παθη, κ. λ. *Vocabula rerum ab initio non ex instituto esse nata, sed ipsas hominum naturas in singulis gentibus propriis adfectibus tactas ea invenisse, et imposuisse.* Laërt. Lib. X. segm. 75. Fuse verborum inventionem, qua homines primitus muti postea loquelam adquisierint, exponit Lucretius:

At varios linguae sonitus natura subegit
Mittere, et utilitas expressit nomina rerum, etc.

Lib. V. v. 1027. et seqq. Idem docuit Epicureus vates Horatius, ubi homines vocat *mutum et turpe pecus Satyr.* Lib. I. Sat. III. v. 100. Vide etiam Diodorum Siculum Lib. I. sub init. Epicurum hac in re adversus Pythagoram, Socratem, et Platonem in *Cratylo* pugnasse probant Aulus Gellius Lib. X. Cap. 4. et Proclus *Schol.* in *Cratyl.* Cap. XVI. Multo autem magis istud eius placitum Sacris Litteris repugnat, in quibus invenimus Adamum ονοματουργον fuisse, utpote Divina scientia praeditum, *Genes.* II. 19. 20., et *Eccli.* XVII. 5. 6. Vide S. Augustinum *De Civit.* Dei Lib. XVI. cap. 2. At enim si ea fuisset humani sermonis origo, quae placuit Epicuro, quamnam adscriberemus sermoni Deorum? Hos nimirum nulla necessitas, nulli adfectus, nulla utilitas, utpote per se beatissimos, ad invenienda vocabula poterat compellere. Quomodo hi prae caeteris linguis Graeca utebantur, si haec, uti et caeterae, quae per orbem audiuntur, post varia tentamina sensim inventa est? Melius itaque sibi constant caeteri Philosophi, qui vocabula naturae adcommodata, και τοις Θεοις προσφιλη, *et Diis amica* dicunt. Iamblichus *De Mysteriis*, Sect. VII. Cap. 5., et Origenes *Contra Celsum.* Lib. I. n. 24. Qua de re vide etiam Aristotelem περι Ερμηνειας, Cap. I. et seqq. Confer Scaligerum *De causis Linguae Latinae* Lib. III. Cap. 67. et seqq., et Elingium *Histor. Graec. Linguae* pag. 3. et seqq. *Lips.* 1691. Caeterum, mythologis utique persuasum fuit Deos graece loqui, ut patet ex quinque Homeri locis, in quibus nomina a Diis imposita *in articulationibus non valde differunt a graecis*, ut ait Philodemus. Loca autem sunt *Iliad.* A. v. 403. Ξ. v. 291. Υ. v. 74. *Odyss.* Μ. v. 61. Χ. v. 305. Quo sensu hanc Graecorum linguam Eustathius, et noster Vicus interpretentur, si quis nosse cupit; legat illius *Comm. in Iliad.* A. v. 403. et huius *Principii della Scienza Nuova* Lib. II. pag 175. et seqq. *Napoli* 1744.

Lin 8. et seqq. την εν τω διαλεγεσθαι κ λ.). Divinando versiculum implevimus, sed divinationis ipsius verba ex contextu Philodemi, et adposito Plutarchi loco desumsimus. Hic nimirum censet esse Deorum το μακαριον εν τῃ επιστημῃ, και φρονησει, et subinde το ευδαιμον εν τῃ σοφιᾳ, και γνωσει, *beatitatem in scientia, et prudentia.*....*felicitatem in sapientia, et cognitione. De Isid. et Osir.* Tom. II. p. 351. *Paris.* 1624. Praeiverat Tullius, qui praecipuas Deorum voluptates enarraturus, *quae*, inquit, *Divina? Vigere, sapere, invenire, meminisse. Quaest. Tuscul.* Lib. I. n. 65. Qua in re Epicurei cum Stoicis plane consenserant, quum utrique Deorum beatitudini per huiusmodi vitae rationem consulere viderentur.

Lin. 10. et seqq. Και γαρ αυτοι λεγονται κ. λ.). Quae reposuimus, periodi capite minutae integritas omnino postulabat. Verumtamen mirum videtur Epicureos, ipsumque Philodemum, qui in fabulis spernendis toti erant, iis interdum fuisse ita obsequutos, ut sese ipsi refutarint. Ita Lucretius, qui Veneri suum poëma inscripserat, ac saepe Graecorum Deos celebraverat, subinde fabulas contemnens canit:

Hanc veteres Graium docti cecinere poëtae.

L. II. v. 600. et

Scilicet ut veteres Graium cecinere poëtae,
Quod procul a vera nimis est ratione repulsum.

L. V. v. 406. et seq.


Usque adeo fugitant non irae Palladis acres
Pervigili causa, Graium ut cecinere poëtae,
Sed natura loci hoc opus efficit ipsa sua vi.

L. VI. v. 753. et seqq. et alibi. Porro quod Philodemus adserat *tantummodo genitos fuisse Deos Graeca utentes lingua*, mirum iis non videbitur, qui meminerint Epicureos obnixe contendisse, ut summ Magistrum in Deorum numerum referrent, atque αποτεθειωμενων heroum, Graeca pariter utentium lingua, exempla admisisse, et recitasse. Vide Lucret. L. V. v. 1-56. et Lactant. Firmian. *De Falsa Sap.* L. III. c. 14.

Lin. 14. et seqq. εν τω διαλεγεσθαι κ. λ.). Delin natatore hic locus egebat, ut sensum expiscari, et contextum restituere nobis liceret. At brevi de Diis tractationi, quam Epicurus ad Menoeceum scripsit, animum intendentes, autumavimus Philodemum ita suum de Diis librum conclusisse, ut illam inceperat Magister. Quare eadem fere verba heic reposuimus; et quae sensum satis ambiguum apud Laërtium habebant, heic germanae lectioni, ac genuino sensui restituuntur. En lectio, et versio Meibomiana: ου γαρ προληψεις εισιν, αλλ' υποληψεις ψευδεις αἱ των πολλων ὑπερ Θεων αποφασεις · ενθεν αἱ μεγισται βλαβαι, αιτιαι τοις κακοις εκ Θεων επαγονται, και ωφελειαι τοις αγαθοις. Ταις γαρ ιδιαις οικειουμενοι δια παντος αρεταις τους ὁμοιους αποδεχονται, παν το μη τοιουτο, ὡς αλλοτριον νομιζοντες. *Non enim sunt anticipationes, sed opinationes falsae, quae vulgus de Diis sentit. Hinc detrimenta maxima pessimis quibusque a Diis inferuntur, et commoda item probis. Nam propriis semper virtutibus delectati similes amplectuntur, omne, quod huiusmodi non est, alienum existimantes.* Laërt. lib. X. segm. 124. Putavit Gassendus mendosam omnino esse huiusmodi lectionem, quia *sententiam inducit non modo illi, quam esse constat Epicuri, contrariam, sed scopo etiam ipsi, ad quem Epicurus heic loci collineat, adversam. De Morali Philosophia Epicuri* T. II. pag. 36. *Lugd.* 1675. Id etiam fusius probat pag. 271. et seqq. Quamobrem textum ita restituendum censet, ου γαρ προληψεις εισιν, αλλ' υποληψεις ψευδεις αἱ των πολλων περι Θεων αποφασεις. Ενθεν και μεγιστας βλαβας οιονται τοις κακοις εκ Θεων επαγεσθαι, και ωφελειας τοις αγαθοις. Ταις γαρ ιδιαις οικειουμενοι δια παντος αρεταις τους ὁμοιους αποδεχονται, παν το μη τοιουτον, ὡς αλλοτριον νομιζοντες... *Non enim germanae praenotiones sunt, sed suspiciones falsae, ea quae de Diis ab hominibus e vulgo traduntur. Arbitrantur quippe et malis detrimenta maxima, et bonis praesidia a Diis advenire: siquidem propriis virtutibus, seu affectibus, innutriti, similes sui Deos admittunt: et quidquid affectuum suorum non est, id existimant ab ipsis alienum.* Miramur sane Ignatium Rossium, virum κριτικωτατον, ac de Laërtio optime meritum in hunc locum mentis aciem non intendisse. Facile enim illi fuisset perspicere Gassendum quoque a recto aberrasse tramite, temere medicam textui adhibuisse manum, ac το οικειουμενους eum reliquis verbis, quae ad Deos pertinent, perperam ad homines retulisse. Nos igitur Philodemi sermoni inhaerentes, qui de Deorum cum Diis consuetudine, et conloquio agens eadem verba usurpasse, eamdemque Magistri sententiam in Tractatum suum transfudisse videtur, clariorem, et Epicureae doctrinae magis consentaneam interpretationem pristinae lectioni adiicimus. *Non enim germanae praenotiones sunt, sed opinationes falsae, quae vulgus de Diis tradit. Inde (secundum hasce falsas opinationes) detrimenta maxima, et noxas malis hominibus a Diis inferuntur, et praesidia probis. Nam propriis virtutibus (Dii) semper innutriti (Deos) sibi similes amplectuntur, omne, quod huiusmodi non est, (videlicet quae ad homines pertinent) alienum existimantes.* Ita profecto verba Laërtii sarcta tecta servantur, Epicurus haud parum sibi constat, et Philodemi contextus ex Praeceptoris sui doctrina perbelle fluit.

Lin. 24. τα ποια χρη κ. λ.). Ut verborum heic refictorum rationem reddamus, monuisse satis erit, τα ποια ex praecedentibus versiculis, cetera ex Epicuri placitis desumta fuisse. Huius enim et δοξας saepe memoratas, et το διαλαμβανειν in Laërt. L. X. segm. 123. et alibi adhibitum non abs re usurpavimus. Nomina autem Σοφου Epicuro, Σοφιας eius doctrinae, et Σοφων eiusdem adseclis fuisse ab aliis eiusdem Sectae Scriptoribus passim tributa, probat Lucretius Lib. II. v. 8. L. V. v. 10. et alibi.

Lin. 37. et seqq. εκμορφωσεις.). Nomen complendum duximus sensu id poscente; neque ipsius novitas nos deterruit. Si enim habes in Lexicis το εκμορφουν, quid prohibet inde elicere τας εκμορφωσεις, quemadmodum e similibus verbis τας μορφωσεις, δυσμορφωσεις, μεταμορφωσεις derivatas novimus?



G. B. Casanova dis — G. Casanova inc.

COLUMNA XV.

ρους διαιροντες. Ψεγοντες ουν τ' αλλα οἱ ανω οὗτω γραψαντων, ὡς ἡ Φυσις και αστην, ὑπαρχουσιν τε, και διατετηρηνται, και διατηρηθησονται τον ἅπαντα χρονον παντως · και γεγεννηκασιν αὐτοις τα προσΦορα παντα, και γεννησουσι περιληπτα μεν διανοιᾳ, τοις δ' αισθητηριου ουχ ὑποπιπτοντα, ἅτινα ταυτ' εστιν επι ζωων. Και μη νοητεον περι του Θεου, ὅ τι εστι περι ζωα δη παντα, και τα παραπλησι' αυτοις · ουδε γαρ αυ δηπουθεν εχεται των ειρημενων.

ad se trahentes. Superi igitur vituperantes alia *deliramenta* illorum, qui ita scripserunt, uti et ipsa *Deorum* natura abhorrebat, et servantur, et servati sunt, et servabuntur per omne omnino tempus: atque ipsi sibi suppeditarunt, et suppeditabunt convenientia omnia, quae mente quidem concipiuntur, sub sensus autem non cadunt, uti cadunt ea, quae sunt in animalibus. Atque de Deo cogitandum non est, quodcunque pertinet ad animantia omnia, et ad ea, quae hisce similia sunt; neque enim obnoxius utique est praedictis rebus.

Lin. 1. διαιροντες.). Ita legimus indiciis insistentes, et ab sequenti adverbio, ανω, quod cum τῳ διαιρειν Graeci Scriptores coniungere consuerunt, ducti. Vertimus autem *ad se trahentes*, tametsi in Lexicis potius vertatur *erigentes*, *extollentes*. Quum enim heic Dii adpellentur οἱ ανω, quidquid ipsi *ad se trahunt*, necessario *erigunt*, *extollunt*. Porro haec adpellatio, paucis suppletis litterulis reperta, Glossariis addenda videtur, ne οἱ ανω posthac ad *maiores*, aut ad *anteacta tempora*, uti adnotarant Lexicographi, tantummodo referantur. Hinc etiam patet, quomodo Latini, dum Deos nuncupabant *Superos*, Graecam dictionem imitabantur: praeterea patet, quam bene sibi consonet Philodemus, ubi Tab. XIII. lin. 8., ανω dixit esse Deorum sedem, Deosque *Inferos* minime agnovit. Sententia denique Nostri est, non esse Diis adscribenda singula, quae in terrestribus animantibus locum habent, ea praecipue, quae ad hominum *nutritionem*, *vires vitales*, et membrorum *efformationes* adtinent.

Ibid. Ψεγοντες.). Nusquam fortasse Epicuri de Diis doctrina evidentius perspicitur, quam in hoc χωματι. Ex hisce enim verbis eruimus eum definiisse, quid erga homines faceret Deus. Noverat nimirum et videbat, quid *scriberent*, et consequenter quid dicerent, quid agerent homines: *vituperabat* mala, ac propterea bona laudabat: at ultra non progrediebatur, quia neminem praemio, neminem poena adficiebat. Unam itaque partem Providentiae, quam admittebant Epicurei, nemo Scriptorum memoriae, saltem ita perspicue, uti Noster, tradidit; de altera, quam illi repudiaverant, plures conquesti sunt. Audi Senecam: *non*, inquit, *dat Deus beneficia*, *sed securus*, *et negligens nostri*, *aversus a Mundo aliud agit; nec magis illum beneficia*, *quam iniuriae tangunt etc. De Benef.* Lib. IV. cap. 9. *Quae igitur in Deo potest esse beatitudo, si semper quietus, et immobilis torpet; si peccantibus surdus, si colentibus caecus? Quid tam dignum, tam proprium Deo, quam Providentia?* Ait Lactantius *De Ira Dei* Cap. IV. *Si aliquem de Epicuri Schola Deum affectavit Christi nomine titulare, ut quod beatum, et incorruptibile sit, neque sibi, neque aliis molestias praestet (hanc enim sententiam removens Marcion, removet ab illo severitates, et iudiciarias vices), aut in totum immobilem, et stupentem Deum concepisse debuerat; aut* etc. Ita Tertullianus Lib. I. *Adversus Marcionem*. Vide etiam Maximum Tyrium plura de hac re memorantem. Dissert. XXIX. Quapropter haec loca, ubi Deus Epicuri *negligens nostri*, *caecus*, *surdus*, *stupens* dicitur, non ita stricte intelligenda sunt, ut omnem *sublunarium* rerum notitiam Diis adimant, sed eam tantummodo, quae ad praemia, et poenas distribuendas pertinet.

Lin. 3. ὡς ἡ φυσις και αυτη.). *Natura*, supplevimus *Deorum*. Favet nobis illud Cottae: *Epicurus..... quum Deos nihil agere, nihil curare confirmat, membrisque humanis esse praeditos, sed eorum membrorum usum nullum habere; ludere videtur, satisque putare, si dixerit esse quamdam beatam naturam, et aeternam*. Cic. *D. N. D.* L. III. n. 2. Immo ipse Epicurus scripsit ad Herodotum: ἁπλως μη ειναι εν αφθαρτῳ, και μακαριᾳ φυσει, *simpliciter non esse in immortali, et beata natura.* Laërt. L. X. segm. 78.

Lin. 4. et seqq. και γεγεννηκασιν.). Perperam scripserat amanuensis γεγεννηκεν, repugnante totius periodi syntaxi. Quomodo in hanc numeri εναλλαγην inciderit, mox dicemus.

Lin. 5. et seqq. και γεννησουσι περιληπτα μεν διανοιᾳ κ. λ.). Librarius laboris impatiens ad operis finem non lente festinavit, atque adeo και γεννης ου περιληπτα, duabus litterulis omissis, scripsit. Si enim textus lectio retineretur, duo praecipue occurrerent mala. Alterum scilicet, quod Diis γενναν, *generationem*, tribuere videretur Epicureus: idque omnino falsum esse constat, tum quia superius nullum hac de re verbum iniecerat, et intempestiva omnino heic occurrisset *generationis* mentio; tum quia vel ipsa *generationis* membra omnino otiosa habuisse dicebantur Epicureorum Dei; *quae procreationis causa, natura corpori adfinxit, ea frustra habebit (Epicuri) Deus,* inquit Cotta apud Ciceronem *De N. D.* L. I. n. 92. Alterum, quod ea, quae ad Deos pertinent, Philodemus faceret ου περιληπτα μεν διανοιᾳ, *quae mente quidem concipi nequeunt*, idque ex Epicurei Scriptoris calamo neutiquam excidere poterat. Enimvero Epicurus praedicaverat de Diis: τουτο καταλαβειν τῃ διανοιᾳ εστιν, ἁπλως ουτως ειναι, *hoc mente comprehendere licet, omnino ita esse*. Laërt. L. X. segm. 78. Rursus: εναργης εστι των Θεων νοησις, *evidens est Deorum notio. Ibid.* segm. 123. Denique φησι τους Θεους λογῳ θεωρητους, *dicit (Epicurus) Deos non sensu, sed mente cerni*, ut vertit Gassendus. *Ibid.* segm. 139. Consonat Cicero, ubi eius doctrinam exponens *eam*, inquit, *esse vim, et naturam Deorum, ut primum non sensu, sed mente cernatur. De Nat. Deor.* Lib. I. n. 49. Postremo Plutarchus, et ipse Epicuri placita in medio ponens, ait: Επικουρος φησιν ανθρωποειδεις μεν παντας τους Θεους, λογῳ δε παντας τουτους θεωρητους δια την λεπτομερειαν της των ειδωλων φυσεως. *Epicurus omnibus Diis humanam formam tribuit, solaque eos ait cerni ratione ob tenuitatem partium naturae simulacrorum. De Placitis Philosophorum*, Lib. I. Cap. 7. Quibus permoti rationum momentis ita refinximus locum, ut verba γεγεννηκασιν, και γεννησουσι, aliis modo lectis διατετηρηνται, και διατηρηθησονται congrue responderent: verbum vero γενναν ita explicandum censuimus, ut indicaret *efficere*, *suppeditare* per metaphoram ab obvia significatione *gignendi*, *pariendi* ductam. Interpretationem omnibus placituram speramus, qui modo adlatos legerint Lucretii versus: *Omnia suppeditat porro natura, etc.*

Lin. 8. μη νοητιον κ. λ.). In postremo hoc supplemento habes vocem Θεου, quam requirit το εχεται

in extrema linea conspicuum; si enim sermonis exitus ad *τους ανω*, *Superos*, quos in prima memoraverat, referretur, soloecismus vitari non posset. Frequenter autem Philodemum vidimus, ubi de Diis disserit, a plurali ad singularem numerum transire: nusquam vero singularem melius adhibet is, quam heic loci, ut de quoque Deo, quatenus talis est, praecipuum suae disputationis dogma proferat. Caetera et spatiolo, et contextui satis congruere per se probantur.

Lin. 9. et seqq. *ουδε γαρ κ. λ.*). Quaenam omnino sint praecipuae res, quibus in Tractatus sui conclusione exsolvendos Deos, quodam quasi epiphonemate, pronunciet Philodemus, dudum edixerat Epicurus, nisi fallimur, sub finem Epistolae ad Herodotum; ubi Gassendus ita legit, et vertit: *ου γαρ συμφωνουσι πραγματειαι, και φροντιδες, και οργαι, και χαριτες μακαριοτητι, αλλ' ασθενεια, και φοβω, και προσδεησει των πλησιον ταυτα γινεται. μητε αυ (νομιζειν δει) λυπηρου δια τουτου, και ανεστραμμενου το την μακαριοτητα κεκτημενον κατα βουλησιν τας κινησεις ταυτας λαμβανειν. Non enim cum felicitate congruunt negotia, sollicitudines, irae, gratiae; sed haec prae imbecillitate, metu, opisque externae indigentia contingunt; neque oportet rursus, quum id muneris, et molestum sit, et a felici statu abhorrens, existimare eam naturam, quae felicitatem est nacta, eiusmodi esse, ut sciens ac volens hasce animi commotiones subeat.* Laërt. Lib. X. segm. 77.

METRODORI

DE SENSIONIBUS

COMMENTARIUS.

ERUDITO LECTORI.

I. Quantum molestiae ac laboris in Volumine, quod nuper illustravimus, pro multiplici lectionis difficultate oportuit perferre; tantumdem in legenda alterius huius Papyri pulcherrima ac perspicua scriptura perinde recreati sumus, ac si e densissimo saltu in campum satis apricum prodiissemus. Duo enim commoda Liber hic legentibus adfert: alterum, quod in versiculis rarae occurrant lacunae, caeque quum grandiusculis supplendae sint litteris, facili negotio complanentur; alterum, quod minus ipse, quam caeteri in Herculanensi Bibliotheca adservati, combustus, colorem subrufum Papyro naturalem, planitiem rugis omnibus carentem, et ductus characteris integerrimos exhibeat.

II. Tria autem sunt, ob quae Liber, alioquin facilis, haud explanari nisi difficillime potuit. Primum quidem eius pagellae, tametsi altera alteram plerumque excipiat, in inferiori tamen parte mutilae perpetuo conspiciuntur; ac propterea sermonis contextum nobis ita invident, ut dum sensum Auctoris expiscari conamur, abrupta identidem oratione prohibeamur. Deinde tam breves sunt priores columnae, et pro characteris amplitudine tam pauca verba continent; ut nullum scriptoris conceptum plene ac plane compleant, et aqua, uti aiunt, passim haereat lectori inter coniecturas vaganti. Demum neque argumentum de quo agitur, neque Auctor qui conscripsit (quum titulus omnino exciderit) in comperto est: ideoque ea notitia desideratur, quae lucem non modicam hisce λειψανοις esset adlatura.

III. Certe quidem plura in ipso occurrunt, quae cum praecedenti Philodemi Tractatu adfinitatem satis evidentem praeseferunt: at si id nobis ratio satis valida fuit, cur utrumque simul ederemus; profecto paris momenti non fuit, quare ad titulum restituendum securi progrederemur. Ut autem ad coniecturas ea, qua par est, dubitatione confugiamus; illud memorandum omnino est, quod hac de re alibi indicavimus. *Praefat. in Polystrat. Hercul. Vol.* T. IV. pag. III. not. 3. Ibi nimirum *De Sensionibus* hoc Opus videri scriptum, et Metrodoro utique tribuendum adfirmavimus. Utrumque autem probandum nobis est, ne temere aliquid adseruisse, et quamdam auctoritati nostrae fidem audacter adrogasse videamur.

IV. Ad argumentum quod adtinet, usque ad X. Col., plurimis praecedentibus omnino deperditis, *De Sensionibus* Auctorem disputasse, nihil est, quod demonstrando immoremur, quum ex ipsa pagellarum lectione per se pateat. Dum vero in ea Columna ad Dei figuram investigandam se gradum facere profitetur, evidenter indicat, unde progressus sit, et quare alteram hanc quaestionem discutiendam adgrediatur. Scilicet exposita rerum sensibus subiectarum natura, ad eas pergit, quae sensibus minime percipiuntur, sed mente et intellectu concipienda sunt: probandumque auscipit τα λογῳ θεωρητα adsimilanda esse τοις αισθητοις; ut illa per haec

agooscamus, metiamur, atque definiamus. Tandem in Operis conclusione suae, ut ita dicam, digressionis rationem, seu potius excusationem prolaturus, liquido testatur praecipuam tractationis suae materiam *res, quae sensibus percipiuntur*, fuisse; atque inde ad res ratiooe contemplandas, videlicet ad determinandnm Dei formam, quasi ad παρεργον, se processisse non diffitetur. Perlege pagellas XIX. XX. XXI.

V. Quum igitur *De Sensionibus* Opus istud conscriptum teneremus, ad eius Auctorem detegendum divinatione quadam, hisce io disceptatiooibus minime vetita, usi sumus; eamque non levibus oixam coniecturis, ab eruditis aequi boni faciendam merito speramus. Primo quidem suspicati sumus hunc caeteris Epicuri libris, quibus Herculanensis scatebat Bibliotheca, adceoseodum esse; quum pnram putamque eius doctrinam contioeat, uti perpetuo io nostris Adnotatiooibus animadvertimus. At non modo stylus plane diversus videtur, sed ipse Tractatus talis est, ut Auctorem potius alienas sententiss memorantem, quam proprias edoceotem prodat. Quid quod in Col. XIX. librum Epicuri περι Βιων, tamquam a Sectatore, non autem ab ipso Scriptore citatum deprehendimus?

VI. Excluso itaque hoc Magistro, aliquem discipulorum, qui eius scita pro aris ac focis tueretur, ioquirendum duximus. Et primo occurrit Philodemus, cuius volumina magnam Bibliothecae partem, ut saepe monuimus, occupabant. Verum N. A. stylus cum notissimo Philodemi, quem Asconius Paedianus *Epicureorum disertissimum* adpellat, stylo minime coogruit; est enim minus *disertus*, magis concisus, conclusiunculis redundans, verborum parcior, strictae argumeotationis studiosior, ac sua potius Auctoritate, quam ratione adsensum lectoris sibi vindicandum ducit. Adcedit quod Philodemus in praecedenti Opere, *de Diis* agens, magis πληθυντικον, quam ενικον numerum usurpat: at N. A. diligentissime cavet, ne τους Θεους scribat, sed τον Θεον constantissime reponit. His itaque rationibus permoti alium omnino in Epicuri grege investigandum putavimus, cui istum Commeotarium adtribueremus.

VII. Quum autem non modo Epicuri, et Philodemi, sed Polystrati etiam, Colotis, ac Demetrii scripta Bibliothecae Dominus adservaverit; quid mirum, si is inter caeteros Epicureos Metrodorum quoquo perlegere ac retioere voluerit? Vide *Catal. Herc. Vol.* p. I. et seqq. *Oxon.* 1824, et nostram *Praefat.* in T. IV. p. III. et seq. Fuit enim Metrodorus in ea Secta σφοδρα ελλογιμος, *valde celebris*, uti in Diog. Lib. X. segm. 22. legendum probat Gassendus; *Sapiens* ab ipso Epicuro nuncupatus, et *alter Epicurus* a Tullio dictus. Vid. Cic. *De Fin.* L. II. n. 92. et 7. Idcirco huius Auctoris Operibus Bibliothecae scrinia turpiter caruissent; praesertim quum Epicurei ita Metrodori, ut Epicuri libros *in manus sumerent.* Cic. *Tusc. Disp.* L. II. o. 8. Praeterea inter Epicureos unus is est, quod sciamus, qui *De Sensionibus* Tractatum in lucem ediderit, ut tradit Laërtius L. X. segm. 24. atque in eo illud fortasse protulerat effatum περι πραγματων εμπειριας, *de rerum experientia*, quod nobis servavit Empiricus. *Adv. Math.* L. I. segm. 61. Si igitur is fuerit, uti modo demonstravimus, titulus libri; eum utique ipsi Metrodoro adscribamus, oportet. Demum Philodemus Metrodorum saepe laudat, ipsumque Magistro *adcuratiorem plenioremque* fuisse fatetur, *De Vitiis, et virtutibus oppositis* Col. XII. XXI. et XXVII. *Hercul. Vol.* T. III. Quin etiam in Commentario *de Deorum Vivendi ratione*, haec habet: Μαλιστα δε περι του σωματος γραπτεον, και δεικτεον διαπαντος αἱμα αυτων ου πανταχοθεν παν συμπτωμα, κατα τον Μητροδωρον, εκφανιζειν ον τοιουτο, ὡς μηδεποτ' εγχωρησον αιτιοις Φθοριοις της ψυχης. *Praesertim vero de corpore Deorum illud scribendum, ac tenen-*

dum est semper, sanguinem eorum non omnino omnem adfectionem, ex Metrodori sententia, prodere talem esse, qualis in nobis est; utpote qui nunquam incurret in caussas, quae corrumpendi animam vim habeant. Col. IV. p. 45. Quum itaque ipsissimam hanc sententiam in praesenti Opere expositam animadvertamus, Col. XVII. et XVIII., non levi utique momento in nostra divinatione obfirmamur. Adcedit Plutarchus, qui de Metrodoro fabulas poëtarum deridente narrat, εν γραμματι τοσουτοις Ποιητη λελοιδορηκεναι, *multa scripsisse ad Poëtae (Homeri) ignominiam pertinentia.* In Opusc. cuius titulus: *Quod non vivitur iucunde sec. Epic. p. 1087.* Huiusmodi autem videtur illud, quod Col. XVI. initio scribit, cum scilicet Homeri versum εσκωμμενως adlegans se non esse de eorum numero, qui singula huius Poëtae verba venerabantur, liquido testatur. Plurimae etiam apud eundem Chaeronensem occurrunt Metrodori sententiae, quarum nulla aliquid a placitis in nostro hoc Volumine evulgatis absonum enunciat. Immo in eodem Opere illa doctrina eminere videtur, quam in Metrodoro se legisse Tullius fatetur: nimirum *vita omnis beata corporis firma constitutione, eiusque constitutionis spe explorata . . . . . . continetur. De Offic.* L. III. cap. 117. Vide etiam Plutarchum cit. lib. *Quod non etc.* T. II. p. 1087. *Francof.* 1600. Sed et Lucianus semel atque iterum cum Epicuro Metrodorum coniungens, utrumque ea de Diis tradidisse adfirmat, quae per plurima heic nobis occurrentia perpetuo confirmantur. *Pseudomant.* T. II. p. 225. et *Iup. Tragoed.* p. 668. *Amst.* 1743. Quae quum ita se habeant, nemo ibit inficias divinationem nostram solidis fulciri indiciis, quae in re tam obscura gravium argumentorum locum obtinere critici docuerunt. Iam vero e toto Volumine, seu potius ex ipsius laciniis, quid excerptum fuerit, adcipe, lector; teque nostros labores pro tua humanitate haud improbaturum speramus.

VIII. Quum a Sensuum utilitate, non ab ipsa natura iustitiam repeteret, respuit N. A. eam Stoicorum, atque Peripateticorum sententiam, qua eam virtutem non versari, ut caeteris contingit, inter duo opposita vitia, sed in proportione sedem suam habere docuerant. Ait itaque: » iu- Col. I.
» stitiam cognoverunt utique, atque domicilium, ubi ea ponitur, statue-
» runt; dicuntque eam manere in anima iusti, quae in quibusdam lineis
» ab aviditate aeque distantibus se continet.....

IX. Criterio veritatis in Sensuum testimonio constituto, ultro fatetur quasdam esse circumstantias, in quibus adhiberi sensus nequeant; » atque Col. II.
» propter huiusmodi circumstantias iam hoc cognoscimus, id iudices non
» habere: res enim occulta nusquam adparet.....

X. Tum vero Sensus omnino adhiberi non possunt, quum Mors intervenerit: de qua Metrodorus putida Epicureorum dogmata his verbis prodit:
» et dum corpus per haec dissolvitur, dissolutionem una cum aliis rebus, Col. III.
» quae ad Sensionem pertinent, non formidandam excipimus quoad omnia,
» non solum animae, sed etiam ei, quae adparet, toti collectioni, seu
» corpori; si quidem non eam dissolutionem consideremus, uti malum,
» sed uti rem neque ad vivos, neque ad mortuos pertinentem.....

XI. A morto ad Somnum, mortis germanum, N. A. Epicuri vestigiis insistens gradum facit. » Obveniens, inquit, iu Somno mutatio mutabit Col. IV.
» unitatem rerum, quae Sensibus obiiciuntur, uti etiam reminiscentiarum,
» quae contentionem sustinent, et mutantur.....

XII. Cur autem Sensiones, quas per Insomnia percipimus, animus evigilans meminisse non soleat, pariter cum Epicuro ita explicat: » quum Col. V.
» ea mutentur, in quibus evenit motus, aliae res cogitabuntur. Hac vero
» de caussa, quum non remaneant ea, quae reminiscentias efficiunt, ne
» Sensiones quidem manere cogitabuntur.....

XIII. A notionibus *adventitiis* ad *factitias*, ut Scholae loquuntur,
Col. VI. transit; atque has quoque a Sensibus oriri docet. Ait enim: » post Sen» siones, et anticipationes mens reliquas habet novas cogitationes, quae » illis non adamussim respondent, sed fictiones rerum similium sunt; fin» guntur autem ab his, qui reminiscentias servare conantur. Ipsa utique » voce omnium, quae in anticipatione continentur, memoria excitatur ».

XIV. Quum vero a Magistro didicisset notiones *adventitias*, ac *praenotiones* esse quamdam Memoriam; de hac quoque sibi agendum esse censuit. Quapropter nonnulla de Memoria disputat, de qua in Epicuri,
Col. VII. eiusque adseclarum scriptis fere nullum occurrit vestigium. » Invenies, » inquit, homines qui delectabuntur reminiscentiis rerum in pueritia » perceptarum. Postquam enim anima parvo disteuta corpore per puerilem » aetatem, crescet; servabit utique primas Sensuum impressiones, easque » non sine oblectamento in memoriam revocabit....

XV. Iam porro duo refutat Peripateticorum placita: alterum videlicet, quod dum de Memoria agebant, *quantitatem corporum*, *motionem*, et *intelligentiam* agnoscenda tradiderint: alterum, quod Memoriam definierint *habitum phantasmatis;* dum eam ipse potius cum Platone *conservationem*
Col. VIII. *Sensionis* existimare videtur. Quare ita scribit: » non solent in remini» scentiis cogitari quantitates corporum. Atque manifesta res est, in hisce » rebus reminiscentias servari motionibus minime contingentibus in mul» torum cogitationibus. Etenim adcipimus Sensiones, easque nulla motione » meminimus.....

XVI. Alia quoque Peripateticorum sententia respuitur, qui e quodam materiae fluxu maiorem, minoremve Memoriae vim repetebant: siquidem
Col. IX. » qui fluxum materiae ad mentem pertinentis passi sunt, rerum praete» ritarum non possunt Memoriam retinere. Atque in universum, quantum » de hisce rebus dicere possumus, materia vel semel mutata, eorum, » quae mentem perficiunt, reminiscentias servatum iri, inter Peripate» ticorum nugas amandamus....

XVII. In lacuna aliquid de Phantasia, quam cum Memoria coniun-
Col. X. xerat Epicureus, dixisse arbitramur; idque concludit his verbis: » hoc autem rerum similium comprehensionem habet ». Deinde a rebus quae per Sensus percipiuntur, ad eas quae Sensibus subiici nequeunt, ideoque mente concipi debent, ad Deorum scilicet formam investigandam progreditur; atque huius transitionis tum in nota ad marginem adpicta, tum in ipsa loquendi formula luculenter indicatae rationem adducit. » His itaque » ait » perlustratis, non piget adiicere etiam, ob quasnam adtractiones » Deum humana forma praeditum relinquamus. Patet vero hominis for» mam non posse vinci ab alia in Mundo....

XVIII. In sermonis itaque parte deperdita adferebatur primum illud futile Epicureorum argumentum, quod Cicero posterorum memoriae mandavit, quodque ab humanae formae praestantia petitum, ipsam omnino Diis vindicat. In praesenti alterum editur argumentum a rationis usu deductum,
Col. XI. quod Metrodorus ita expouit: » ac si rationem non habemus in alia for» ma, nisi in humana; manifestum est, etiam Deum humana forma » praeditum oportere relinquere, ut cum ratione consistat. Propterea huma» na forma praeditum dicimus putandum esse Deum, ut statum suum » necessario adcipiat ». Quibus enucleatis tertia subditur ratio, Gentium consensioni innixa, cuius initium pagella demonstrat. » Atque manife» stum est Deum semper fingi humana specie apud omnes Gentes ». Tria haec sophismata fusius exposita apud Tullium inveniri, in adjectis Adnotationibus adposite indicavimus.

XIX. Stoici illud Epicureis obiiciebant, quod Dii, si humanam haberent figuram, humana etiam mala ad se traherent. En Stoicorum argumentatio. » Deus adcipit nostram adtractionem, quae et ad hoc agit. Dicunt » enim, quod si, eo quod Deus habet rationem, humana forma sit prae- » ditus; quum animalis etiam natura sit ei nobiscum communis, ipsi » coniungimus quoque multas formarum communicationes, uti et indi- » gentias, et impensas..... Col. XII.

XX. In lacuna responderat fortassis huic obiectioni. Deinde alteram proponit, qua Stoici ita fere urgebant Epicureos: *si Deo humanam tribuitis figuram, quia cum homine communem habet rationem; debetis etiam ei tribuere leoninam, quia leo communem cum eo et cum homine habet magnanimitatem; atque adeo alias aliasque animantium formas, si in ipsis aliquid deprehenditis, quod Divinam deceat naturam.* Respondet itaque Metrodorus non oportere Deum leonina fingi specie, quia » leo cum » hominibus animi magnitudinem habet communem. Quare si nonnulla » animantia talem formam habent, non oportet Deum etiam esse talem. » Rationis autem usum, et quidem perfecte, una cum communibus » huiuscemodi facultatibus, et multas alias habebit. Hasce vero singillatim » cunctas recensere, hominis otiosi, ac temerarii esset..... Col. XIII.

XXI. Tertiam alicuius Stoici, fortasse Zenonis, subdit obiectionem, » eamque diluit. » Si enim hominis, ille ait, formam habebit; patet eum » habiturum etiam oculos, itemque oculis laboraturum. Idem vero in reli- » quis quoque Sensibus patietur ». Quibus ita respondet. » Hoc ipsum autem » similem habet ineptiam. Primum itaque consentaneum non est Deum » nostris infirmitatibus obnoxium putare..... Col. XIV.

XXII. Tum transit ad Stoicum Poëtam turpi inurendum nota, dum eum physiologiae ignarum traducit; atque ideo scribit: » ac nihil pro- » babile est in libris poëtae Bionis, qui quum ex Theophrasti doctrina » philosophiam floribus ornarit, absurda sequutus est propter naturae » rerum ignorantiam. Hoc enim susceptum ab eo opus omne quaestio- » num, et particularium cognitionum genus omnino complectitur.... Col. XV.

XXIII. Repugnantias porro Stoicorum, et Peripateticorum subiicit, a quibus se liberum iactat. » Nos, ait, haud dicimus Deum esse vel Mun- » dum, vel Solem infatigabilem, Lunamque plenam. Stoico autem, et Peri- » patetico id dicere fas est; perinde ac si Paridi formam sphaerae similem » adtribuat. Caeterum qui haec dicunt, non vident naturae proprium esse, » ut rerum singularum formam pro cuiusque conditione constituat.... Col. XVI.

XXIV. Deinde ut ostendat, unde Dei immortalitas oriatur, ridiculam hanc sententiam prodit; » maior et minor densitas eo usque discrepant; » ut alterum quidem ex maioribus, alterum vero ex minoribus partibus » constituatur. Atque hac de causa alterum, quod partes habet crassiores, » Sensionemque movere potest, corrumpitur; alterum vero, quod partibus » constat subtilioribus, quodque movendae Sensioni natura sua aptum non » est, servatur...... Col. XVII.

XXV. Ut autem explicet, qua de causa Divinum corpus Sensibus mini- » me percipiatur, haec subdit. » Non possunt Dei membra, quae adeo sub- » tilia sunt, et immortalia, inter res adparentes inclusa relinqui. Propterea » enim nihil, quod Sensibus percipitur, immortale est. Densitas enim im- » mortalitati opponitur, quum duros excipiat ictus. Rursum nihil, quod » duplicis naturae est, Sensibus percipitur. Quae enim magno cum pon- » dere magnas efficiunt conversiones, inter ea quae sentiuntur, recensen- » tur; at quae duplicis sunt naturae, neque pondus, neque conversiones » admittunt..... Col. XVIII.


XXVI. Concludit denique orationem suam revocans in lectorum mentem, quid Epicurus senserit de propria cuiusque animantis forma. Inquit
Col. XIX. nimirum: » quum Epicuri sententiae hunc modum servent in Sermone de » Vitis. An neque hoc statuam? Quspropter unumquodque genus animantium propriam habet formam in proprio genere. In universum autem, » non semel, ut pertineat tum ad ea quae Sensu percipiuntur, tum ad » alia quae ratione intelligi possunt, constitutum novimus, ut naturalem » formam unumquodque animal perpetuo servet. . . . .

XXVII. Nonnullis autem interiectis, totam tractationis suae summam,
Col. XX. incipiens a prima eius parte, ita breviter exhibet: » doctrinas de rebus quae » Sensibus percipiuntur, ante eas, quas ratione adsequimur, exposuimus » in praesenti tractatu, ne qua rerum adparentium repugnaret. Quare et » hoc, quod facile absolvi poterat, et quae tunc animadvertenda erant, » perlustrata sunt. In hisce autem persequendis adductus sum ad altercandum magnopere; quando diruens omne aedificium abnorme ad Com» mentarium hunc concinnandum deveni; ut placita nostra de rebus, quae » Sensibus subiiciuntur, ac de forma Dei explanarentur. . . . .

XXVIII. Postremo alteram disputationis partem tamqusm e tripode
Col. XXI. his verbis commemorat: » Deus habet formam ipsam, qualem caeteri » philosophi, praeter Stoicos, ipsi adtribuunt. Omnino enim agnoverunt » Deum neque sphaerarum formas, neque iudicia, et dispositiones ad ira» cundiam, et ad querimonias de parvis rebus habere; sed etiam ipsum » habere formas erectas in sublime, et dispositiones omuem humilitatem » abhorrentes, totas autem conversas ad vitam beatam, atque a negotiis » liberam agendam.

XXIX. Ex his, quae hactenus recensuimus, satis intelligitur, cur Metrodorus non tam βιβλιον, quam Ὑπομνημα lucubrationem suam inscripserit. Leguntur enim in eius ανακεφαλαιωσει haec verba: πλῆθον Ὑπομνημα ποιησαμενος. Porro ea vox idem sonat, ac latine *Commentarius;* Strabonem enim sequuti sumus, qui I. Caesaris *Commentarios* Graece nuncupavit Ὑπομνηματα. L. IV. p. 177.; tametsi Plutarchus εφημεριδας adpellare videatur, *Vit. Caes.* T. I. p. 718. et Gaza Απομνημονευματα vertat. Num vero idem sit *Commentarius*, et *Commentarium;* an ea inter haec verba agnoscenda sit differentia, quam notat Isidorus *De Diff. Verb.* n. 86, aliis discutiendum relinquimus. Neque vero pauca huiusmodi tituli exempla in Veterum Scriptorum catalogis reperiuntur; quandoquidem vel unum Athenaeum pervolutanti occurrent Ὑπομνηματα Aristotelis, vel Theophrasti, Lib. IV. pag. 173. et Lib. XIV. pag. 654. Capitonis Lib. VIII. pag. 350. Dioscoridis, Lib. XI. pag. 507. Hegesandri Delphii, Lib. III. pag. 83. 87. 107. 108, Lib. IV. pag. 162. Lib. VI. pag. 248., et alibi saepe, Ptolemaei Regis, Lib. II. pag. 71., Lib. VI. pag. 229., Lib. IX. pag. 375, atque Aristoxeni, Lib. XIV. pag. 619. cuius quidem Scriptoris Ὑπομνηματα ἱςορικα memorantur etiam a Laërtio Lib. IX. segm. 40. Sed cur extranea conquirimus, quum habeamus domestica? Philodemi scilicet duo Opera adservantur in lucem mox proditura, quorum alterum περι Ῥητορικης Ὑπομνηματων Α. *De Rhetorica Commentariorum* L. I. alterum vero περι Ῥητορικης Ὑπομνηματικον, *de Rhetorica Liber in Commentarii formam concinnatus*, inscribitur. Et nimirum expressa *Commentarii* significatio adprime respondet, uti adcurate perpendentibus patet, huic Metrodori libello: in eo enim Epicuri doctrina, ut *Commentarii* ratio postulat, continuate et diligenter, simpliciter tamen et sine ornamentis, breviter et quasi per capita ad memoriam sublevandam exponitur.

XXX. Unum denique animadvertendum superest, quod ex hisce laciniis suo ordine digestis evidentissime deducitur, quam infensa, videlicet, humano generi ea recentiorum quorumdam circulatorum natio, qui *Materialistae*, atque *Atheistae* audiunt, censeri debeat. Hi enim eo impietatis progressi sunt, ut omnia sensibus subiicienda, nihil supra sensus esse agnoscendum, Deumque Opt. Max. omnino de medio tollendum voce, et scriptis impudentissime pronuntiarint: dum Metrodorus, Epicuri vestigiis insistens, fatetur saltem esse aliqua *ουκ αισθητα, αλλα τω λογω θεωρητα*, *quae non sensibus, sed mente et ratione percipiuntur*; Deumque re vera esse agnoscendum ac venerandum, uti optimum beatissimum atque immortalem, negare non audet. Quod si Epicurei vel ipsis Idololatris odio et execrationi erant, quod Deum esse providentissimum negarent: quo tandem loco habendi sunt isti, qui in tanta Christianae Religionis luce adeo caecutiunt, ut vel ipsas veritates non videant, quas inter offusas Idololatriae tenebras Epicurei perviderunt? Quare de pessimis multo magis eiusmodi Scriptoribus, quam de Epicuri discipulis dicendum esset, eorum *sectam flagitiorum magistram, et infamem* esse, ut scribit Seneca *De Vita Beata*, Cap. XIII.; nec minus isti ex urbibus eiiciendi essent, quam illi quondam tum a Romanis, tum a Messeniis expulsi fuisse dicuntur. Vide Athenaeum *Dipn.* Lib. XII. Cap. 68., et Aelianum *Hist. Var.* Lib. IX. Cap. 12.



G. B. Casanova dis. — Giu. Casanova inc.

COLUMNA I.

Δικην εγνων δη, και εφισταν οικον δισεως· και φασιν παραλληλων τινων εξω απληστιας μενειν επι ψυχην του δικαιου. . . . . .


Iustitiam cognoverunt utique, atque domicilium, ubi ea ponitur, statuerunt; dicuntque eam manere in anima iusti, quae in quibusdam lineis ab aviditate aeque distantibus se continet.

CAP. I.

Quid senserint nonnulli Philosophi de Iustitia.

ADNOTATIONES.

Lin. 1. et seqq. Δικη κ. λ.) Cur hanc laciniam partim legentes, partim restituentes ita exhibeamus, ut quorumdam Philosophorum sententiam contineat, paucis exponemus. Stoicos nimirum, et Peripateticos Noster Auctor memorat, qui Iustitiam a natura ortam, et in proportione constitutam esse docuerunt; siquidem statuerunt eam virtutem non versari, ut caeteris contingit, inter duo extrema opposita vitia, sed oppositum unicum vitium habere, videlicet Iniustitiam. Immo Iustitiam in proportione sive *continua*, sive *discreta*, ac in lineis quibusdam aeque distantibus conlocarunt: Ω'ς ἡ του Α προς την του Β, οὑτω και ἡ του Β προς την του Γ.... ὡς ὁ Α ὁρος προς τον Β, οὑτως ὁ Γ προς τον Δ. Και εναλλαξ αρα ὡς ὁ Α προς τον Γ, ὁ Β προς τον Δ· ὡστε το ὁλον προς το ὁλον. *Quae proportio est primae lineae ad secundam, eadem est secundae ad tertiam ..... quae erit extremi A ad extremum B proportio, eadem extremi C ad extremum D. Alterna igitur ratione ut extremum A ad extremum C, sic B ad D: ideoque et totum cum toto comparabitur.* Ita Aristoteles de Iustitia disserit. *Ethic.* Lib. V. cap. 6. Qui et eas lineas αλληλαις saepe comparat cap. 7. et seq. Stoicos porro hisce placitis adcedere animadvertit Aldobrandinus in Laert. Lib. VII. Segm. 92. Idcirco autem Noster haec in medium protulisse videtur, quum de Seosionibus ageret; quia a sensuum utilitate, non a natura Iustitiam repetebat, ac propterea de adcurata eius definitione adlegatas adversariorum sententias respuendas putabat. Vide Laertium Lib. X. segm. 150. Sextum Empiricum *Hypotyp.* Lib. III. segm. 24. Epictetum apud Arrianum Lib. III. cap. 7. Senecam Epist. XCVII. Quapropter eos verbis ιζιστων οικον θεσιως, et Φασιν, et παραλληλων, veluti σκωμμασι pungit.



G. B. Casanova dis. — *Giu Casanova inc*

COLUMNA II.

και δια τοιαυτας περιστασεις ηδη τουτο θεωρουμεν, ὡς ου το κριτας εχι· το γαρ αδηλον ουδαμως φαινομενον εστιν . . . . .


atque propter huiusmodi circumstantias iam hoc cognoscimus, id iudices non habere: res enim occulta nusquam adparet. . . . .

CAP. II.

De quibusdam iudicare non possumus.

ADNOTATIONES.

Lin. 1. et seqq. *και δια τοιαυτας κ. λ.*) Quod heic restituimus, Epicureorum dogmatis perbelle congruit. Illi enim *κριτηριον* dumtaxat in sensuum testimonio conlocabant. Vide Gassendum fuse hac de re disputantem. In L. X. Laërt. *De Canonica Epicuri* T. I. p. 70. et seqq. *Lugd.* 1675. *Syntagma Philosoph. Epicur.* Sect. I. c. 1. et III. c. 10. Quare *κριτας* reposuimus, ut hoc verbum *τῳ κριτηριῳ* responderet. Quod enim sensibus *occultum est*, ex Epicuri placitis, *nusquam* menti adparet. At vero quaenam sint *περιστασεις*, de quibus heic agit Noster, et ob quas adfirmat *κριτηριον* deesse, non satis liquet; praesertim quum inter praecedentem et praesentem pagellam alia omnino discerpta, ac propterea typis indigna, olim extiterit. Illud unum autumare possumus, Auctorem *de Sensionibus* disserentem aliquid ab humana cognitione ablegasse, quod ita sit constitutum, ut nusquam sensibus obiici possit.



G. B. Casanova Del. *Giu. Casanova inc.*

COLUMNA III.

και εν τῳ το ολον αθροισμα τοις μεταλυεσθαι, λυσιν συν αλλοις της αισθησιν μη δεινην δεχομεθα περι τα παντα, ου μονον τη ψυχη, αλλα και τῳ φαινομενῳ ολῳ, ει μεν ου ταυτην

et dum corpus per haec dissolvitur, dissolutionem una cum aliis rebus, quae ad Sensionem pertinent, non formidandam excipimus quoad omnia, non solum animae, sed etiam ei, quae adparet, toti collectioni, *seu corpori;* si quidem non eam *dissolutionem consideremus, uti malum, sed uti rem neque ad vivos, neque ad mortuos pertinentem.*


CAP. III.
De Sensionis dissolutione in Morte.

ADNOTATIONES.

Lin. 1. et seqq. και εν τω το όλον αθροισμα τοις, κ. λ.) Quorsum haec verba respiciant, et quibus moti coniecturis sic ipsa interpretati simus, satis liquet, si locus Epicuri in Epistola ad Herodotum, ubi de Morte agitur, cum iisdem conferatur. Ita nimirum se habet: Διο δη και ενυπαρχουσης της ψυχης, ουδεποτε αλλου τινος μερους απηλλαγμενου, παναισθησια. Αλλα και αυτη ξυναπολληται του στεγαζοντος λυθεντος, ειθ' όλου, ειτε και μερους τινος, ού αν περ διαμενη το ζην κατα την αισθησιν· το δε λοιπον αθροισμα διαμενον, και όλον και κατα μερος, ουκ εχει την αισθησιν εκεινης απηλλαγμενης, όσον ποτε εστι το συντεινον των ατομων πληθος την της ψυχης φυσιν. Και μην και λυομενου του όλου αθροισματος, ή ψυχη διασπειρεται, και ουκετι εχει τας αυτας δυναμεις, ουδε κινειται· ώστε ουδ' αισθησιν κεκτηται. *Idcirco et quando adest anima, nusquam alia aliqua parte remota, omnium sensuum vigor adest. Sed et si haec una perierit, soluto eo quod tegebat, sive toto, sive etiam parte aliqua, ubi sensus vigor persliterit; porro reliquum corpus collectio permanens, et tota et per partes, non habet sensum, illa (anima) remota, quandoquidem contendit atomorum multitudo quaedam in animae naturam. Eninvero et soluto toto corpore dispergitur anima, neque iam easdem vires habet. neque movetur; itaque ne sensum quidem habet.* Laert. Lib. X. segm. 65. Quin immo Mortem in αναισθησια, seu αισθησεως στερησει constituendam ibidem docet. Itaque iisdem fere verbis usus Noster tradit a causis, quae *totum corporis dissolvunt*, *sensuum* etiam *dissolutionem*, adeoque Mortem nobis inferri.

Lin. 4. μη δεινην). Cur Sensionis, corporisque dissolutionem *minime formidandam* doceat, eruimus ex toties inculcata ab Epicuro sententia, qua Mortem neutiquam esse metuendam dictitabat. Ουθεν γαρ εστιν εν τω ζην δεινον, τω κατειληφοτι γνησιως το μηδεν ύπαρχειν εν τω μη ζην δεινον· ώστε ματαιος ό λεγων δεδιεναι τον Θανατον, ουχ ότι λυπησει παρων, αλλ' ότι λυπει μελλων.... Το φρικωδεστατον ουν των κακων, ό Θανατος, ουδεν προς ήμας. *Nihil enim formidandum in vita est ei, qui vere comprehendit nihil esse in vitae privatione formidandum: vanus ergo est, qui Mortem se timere dicit, non quia praesens tristitiam adlatura sit, sed quod adfutura contristet.....Itaque quod malorum horrendum maxime, Mors, nihil ad nos.* Laert. Lib. X. segm. 125. Vide etiam in *Ratis sententiis* segm. 139. Quam nefariam doctrinam quanto plausu Discipuli fuerint prosequuti, testis est locupletissimus Lucretius L. III. v. 842. et seqq.

Lin 8. όλω, ει μεν, κ. λ.). Quae heic restituenda censuimus, Epicuri doctrinae consonant. Is enim in loco nuper adlato, et alibi hominis structuram το όλον adpellat; et pro sua impietate et stultitia illud effutit: ό Θανατος.....ουτε προς τους ζωντας εστιν, ουτε προς τους τετελευτηκοτας. *Mors....neque ad viventes, neque ad mortuos pertinet.* Laert. l. c.



G. B. Casanova dis. *Giu. Casanova inc.*

COLUMNA IV.

παραλλαγη παραλλαξει των αισθητων ἑνοτητα, ὡς των μνημων τον αγωνα διαμενουτων τι, και αλλαττομενων. . . . . . .

ea mutatio mutabit unitatem rerum, quae sensibus obiiciuntur, uti *etiam* reminiscentiarum, quae contentionem sustinent, et mutantur.

CAP. IV.

De Sensionum, et reminiscentiarum mutatione in Somno.


ADNOTATIONES.

Lin. 1. et seqq. παραλλαγη παραλλαξει κ. λ.). A Morte ad Somnum noster Epicureus gradum facere videtur, suum Magistrum sequutus. Is enim Somnum et Mortem, uti germanos, ad Herodotum scribens, ita coniungit; ut alterum alteri connectat, et in illo quidem Sensionis, ideoque reminiscentiae mutationem, in hac vero absolutam αναισθησιαν agnoscat. Consule Laërt. L. X. segm. 65. et 66. Porro praesens Nostri fragmentum, quo *mutatio* in Somno eveniens, ac tum *res sensibiles*, tum *reminiscentias* complexa indicatur, fuse illustrat ille Lucretii locus, cuius aliquos caeteris opportuniores versiculos heic exscribendos curavimus:

Corporis offecti sensus per membra quiescunt,
Nec possunt falsum veris convincere rebus.
Praeterea meminisse iacet, languetque sopore,
Nec dissentit, eum Mortis lethique potitum
Iampridem, quem mens vivum se cernere credit.

Lib. IV. 766. et seqq.

Lin. 4. τον αγωνα). Quaenam sit ista *contentio*, et quaenam sint particulae *locum* in Somno *mutantes*, et quidem *reminiscentiarum* mutationem adferentes, conlige, si placet, ex iis, quae nuper enucleavimus in Philodem. *De Deorum Vit.* pag. 70.



G. B. Casanova dis. Giu. Casanova inc.

COLUMNA V.

. . . . αλλαττομενων των διακινουμενων αλλα νοησεται. Δια δε ταυτην την αιτιαν, μη διαμενοντων των τας μνημας ποιουντων, ουδ' αισθησεις νοησονται μενειν . . . .

quum ea mutentur, in quibus evenit motus, aliae res cogitabuntur. Hac vero de caussa, quum non remaneant ea, quae reminiscentias efficiunt, ne Sensiones quidem manere cogitabuntur.

CAP. V.

Cur facile somniorum memoria deleatur.

ADNOTATIONES.


Lin. 1. et seqq. αλλαττομενων κ. λ.) Quaenam mutatio nostro corpori per Somnum obveniat, describit Epicurus, et post eum Lucretius, aliique, uti l. c. animadvertimus. Ad huiusmodi mutationem referenda sunt nostri Epicurei verba, quibus explicare videtur, cur oblivio rerum, quae in Somnis cogitantur, capiat vigilantes, et cur non eadem in utroque mentis statu cogitari soleant. Vide Gassendum *Syntagm. Phil. Epic*. Part. II. Sect. III. Cap. 21.

Lin. 3. et seqq. νοησεται). Fortasse νομισεται, uti mox pro νοησονται leget quispiam νομισονται. Sensus, et spatium utramque lectionem admittunt.

Lin. 4. et seqq. Δια δε ταυτην κ. λ.). Quum statuerit, mutatis animae partibus, cogitationes mutari; hine deducit *Sensiones*, quas per insomnia percepimus, saepenumero *non manere*; quia non manent partes illae, in quibus et Sensio facta est, et memoria retineri debuisset. Certe quidem Epicurus τα καθ' ὑπνους γιγνομενα, *quae in somnis fiunt*, cum *Sensionibus* coniungit, apud Laërt. L. X. segm. 51.: et quum de Sapiente praedicat, καθ' ὑπνους ὁμοιον εσεσθαι, *in somnis sibi similem futurum*, ibid. segm. 121, hoc placito minime indicat nullam illi dormienti Sensionum, et reminiscentiarum mutationem accidere, sed ipsum somniis sapientiam redolentibus oblectari. Canit enim Epicureus vates:

Et quoi quisque fere studio devinctus adhaeret,
Aut quibus in rebus multum sumus ante morati,
Atque in qua ratione fuit contenta magis mens,
In somnis eadem plerumque videmur obire:
Caussidici causas agere, et componere leges. etc.

De Rer. Nat. Lib. IV. v. 960, et seqq.



COL. VI

Fra. Casanova dis. *Giu. Casanova inc*

COLUMNA VI.

. . . . κας-τας καταλειπομενας ειχε τας ουχι ανταποκρισεις, αλλα προσποιησεις των ὁμοιων · γινονται δε τοις δυσιλεσιν τηρειν τας μνημας. Αυτη γαρ αν φωνη των παντων των εν προληψει

post Sensiones, et anticipationes mens reliquas habet novas cogitationes, quae illis non adamussim respondent, sed fictiones rerum similium sunt; finguntur autem ab his, qui reminiscentias servare conantur. Ipsa utique voce omnium, quae in anticipatione *continentur*, *memoria excitatur*.

CAP. VI.

Quomodo per Sensiones aliae finguntur cogitationes.


ADNOTATIONES.

Lin. 1. et seqq. κοινας καταλειπομενας κ. λ.). Epicurus επινοιας, *cogitationes* quasdam agnovit, quae neque Sensiones, neque anticipationes sunt, sed ex iisdem oriuntur. Ait enim: και γαρ και επινοιαι πασαι απο των αισθησεων γεγονασι κατα τε περιπτωσιν, και αναλογιαν, και ὁμοιοτητα, και συνθεσιν συμβαλλομενου τι και του λογισμου. *Etenim et cogitationes omnes a sensibus manant, tum secundum incidentiam, tum secundum relationem, et similitudinem, et compositionem, conferente aliquid etiam ratione.* Laërt. L. X. segm. 32. Id ipsum heic adtingere videtur Noster.

Lin. 5. et seqq. γινονται δε κ. λ.) Quod huiusmodi προσπειρησεσιν, quas N. A. memorat, veluti auxiliis, memoria iuvetur, fuse docent, qui Commentaria de Arte *Mnemonica* concinnant, et quorum Catalogum invenies in *Tractat. VI. Variorum De Arte Memoriae. Lips. et Francof.* 1678.

Lin. 8. et seqq. Αυτη γαρ αν φωνη, κ. λ.) Quae supplevimus, atque interpretati sumus, ex Epicuri doctrina hausimus. Is enim postquam de Sensionibus, atque anticipationibus egit, nominum etiam impositionem, et memoriam ad eas retulit. Pauca ipsius verba in medio ponimus, ne in re satis nota nimium immoremur: παν πραγμα ονοματι τῳ πρωτως επιτεταγμενῳ, εναργες εστιν .... ουδ' αν ωνομασαμεν τι, μη προτερον αυτου κατα προληψιν τον τυπον μαθοντες. *Omnis enim res, nomine primum imposito, manifesta est .... neque certe aliquid nominaremus, nisi prius per anticipationem illius forma animo impressa esset.* Laërt. L. X. segm. 33. Fortasse haec dicit, ut illam Zenonis adversarii sui sententiam taxet, qua vocum memoria contemnitur; μη τας φωνας, και τας λεξεις δει απομνημονευειν, *non est exercenda circa voces, et dictiones memoria.* Laërt. L. VII. segm. 22. De modo memorata Epicuri sententia vide Tullium *De Fin.* L. II. n. 3. et seq.

Lin. 9 εν προληψει). Cur hanc vocem heic refinxerimus, utique probabit, qui disputationem de Epicuri anticipatione a Gassendo elaboratam legerit. *De Physiol. Epic.* T. I. p. 79. et seqq. *Lugduni* 1675.



Gio. B. Casanova dis. *Raf. Biondi inc.*

COLUMNA VII.

. . . . συναρεστησουσιν τας των εν παισιν αναληφθεντων μνημας. Επει γαρ ἡ ψυχη μικρῳ σωματι παρατεινουσα κατα την παιδικην ἡλικιαν εναυξειν. . . . . . .

invenies homines, qui delectabuntur reminiscentiis rerum in pueritia perceptarum. Postquam enim anima parvo distenta corpore per puerilem aetatem, crescet; *servabit utique primas sensuum impressiones, easque non sine oblectamento in memoriam revocabit.*

CAP. VII.


Cur nos delectet rerum in pueritia perceptarum memoria.

ADNOTATIONES.

Lin. 1. et seqq. *ωπαριστησουσιν τας κ. λ.*) Mirum non est, quod Epicureus a *προληψει* ad *μνημας* transeat; quandoquidem a condiscipulis suis didicerat ipsam *praenotionem* es-e quamdam *memoriam:* *την προληψιν λεγουσιν* (οἱ Επικουρειοι).... *μνημην του πολλακις εξωθεν φανεντος*, *praenotionem dicunt* (*Epicurei*).... *esse memoriam rei, quae saepe extrinsecus adparuit.* Laërt. L. X. segm. 33. Porro quae in hac, et duabus Columnis sequentibus leguntur, argumentum pertractant, de quo nusquam Epicurum, eiusque adseclas egisse suspicabamur; quoniam in eorum scriptis de *Memoria* nec vola nec vestigium hactenus occurrerat: ac propterea eruditis, qui hasce notitias conligendas curant, non iniucunda videbuntur N. A. λειψανα. Quod autem heic legimus de rerum in pueritia perceptarum memoria, experientia comprobatur; quum soleant homines non sine oblectamento *pueritiae memoriam recordari ultimam*, ut Tullii verbis utar, *Pro Archia* n. 1.

Lin. 4. et seqq. Εστι γαρ, κ. λ.) Effutiit, ut notum est, Epicurus, *ὅτι ἡ ψυχη σωμα εστι λεπτομερες, παρ' ὁλον το αθροισμα παρεσπαρμενον*, *animam esse corpus per totam corporis machinam disseminatum.* Laert. L. X. segm. 63. et seqq. Sext. Emp. *Advers. Mathem.* L. IX. Sect. 72. Plutarch. *De Placit. Philos.* L. IV. c. 3. et *Advers. Colot.* L. I. p. 1088. T. II. *Francofurti* 1599. Quare eius discipuli animam ab humano semine natam, et cum corpore distentam cum eodem crescere autumarunt. Vide Lucretium L. III. v. 94. et seqq. Huc itaque referenda sunt verba, quae explanamus.

Lin. 5. *μειχρω* pro *μικρω*, diphthongo pro simplici littera, ut saepe in hisce Voluminibus notavimus, adhibita.



COL. VIII

Gio. B. Casanova dis. *Antonio Casanova inc.*

COLUMNA VIII.

. . . . . ουκ ειωθεν εν μνημαις διανοεισθαι ποσα των σωματων. Και δηλον, ὡς αἱ μνημαι και επι τουτων φυλαττονται των ουχ ὑπαρχουσων κινησεων παρα τας διανοιας πολλων. Και γαρ ἀλισκομεν . . . .

non solent in reminiscentiis cogitari quantitates corporum. Atque manifesta res est, in hisce rebus reminiscentias servari motionibus minime contingentibus in multorum cogitationibus. Etenim adcipimus *Sensiones, easque nulla motione meminimus.*


CAP. VIII.

Refutantur hae de re Peripatetici.

ADNOTATIONES.

Lin. 1. et seqq. ουκ ειωθεν, κ. λ.) Peripateticos heic refutari censemus, qui *quantitatem corporum*, *motionem*, et *intelligentiam*, dum de memoria agebant, agnoscenda tradiderunt. Aristoteles enim cognitionem του ποσου plurimis verbis cum memoria coniungit; in reminiscentia constituenda την κινησιν requirit; atque ad recordationem conferre docet την διανοιαν. *De Mem. et Reminiscent.* Oper. T. II. p. 83.

L. 9. et seq. και γαρ ἁλισκομεν.) Heic quoque Peripatetici fortasse refelluntur, qui Aristotele duce statuebant μνημην, και το μνημονευειν ειναι ἑξιν φαντασματος, ὡς εικονος, οὑ φαντασμα, *memoriam, et meminisse esse habitum phantasmatis, uti imaginis eius rei, cuius imaginatio est. De Memoria, et Rem. Ibid.* Eodem quoque recidit, quod Stoici docuerunt, μνημην ειναι καταληψιν αξιωματος παρεληλυθοτος, *memoriam esse comprehensionem praeteriti alicuius pronunciati.* Plutarch. *De Sollert. Animal.* T. II. p. 961. *Francofurti* 1599. Videtur Nostro potius placuisse illa Platonis definitio, qua memoria, tota quanta est, ad Sensionem refertur: σωτηριαν αισθησεως την μνημην λεγων, ορθως αν τις λεγοι· *qui conservationem Sensionis memoriam dixerit, recte dicit. Phileb. Oper.* T. II. p. 54. *Edit. Steph.* His freti coniecturis, periodum in αυτογραφῳ vix inchoatam ipsi in versione complevimus.



ϹΙΝΤΑϹΜΝΗΜΑϹΦΥΛΑΤ.
ΤΕϹΘ ΚΑΘΟΛΟΥΘΟϹΟΝ
ΕΠΙΤΟΥΤΟΙϹΕΞΟΥϹΙΑΝΕΙ
ΧΟΜΕΝΛΕΓΕΙΝΚΑΙΤΗϹ
ΥΛΗϹΚΑΙΑΠΑΞΑΛΛΑΤΤΟ
ΜΕΝΗϹΤΩΝΤΟΝΝΟΥΝ
ΑΠΟΤΕΛΟΥΝΤΩΝΤΑϹ
Μ ΑϹϹΩΘΗϹΕϹ
Τ ΝΟΤΗΤΩΝ
Η Κ Λ

COL. IX

Gio. B. Casanova dis. Raf. Biondi inc.

COLUMNA IX.

. . . . . . ουχ οἱοι τι ειστιν τας μνημας Φυλαττισθαι. Καθολου δ' ἁσον ιστι τουτοις εξουσιαν ιιχομεν λεγιιν, και της ὑλης και ἁπαξ αλλαττομενης των τον νουν αποτιλουντων, τας μνημας σωθησισθαι, των κινουντων Περιπατητικων λεγομεν ειναι . . . .

Qui *fluxum materiae ad mentem pertinentis passi sunt*, *rerum praeteritarum* non possunt memoriam retinere. Atque in universum, quantum de hisee rebus dicere possumus, materia vel semel mutata, eorum, quae mentem perficiunt, reminiscentias servatum iri, inter Peripateticorum nugas amandamus.


CAP. IX.

Materiae ad mentem pertinentis fluxus non admittitur.

ADNOTATIONES.

Lin. 1. et seqq. ουχ οἱοι τε εισιν τας μνημας κ. λ.) Aristotelem nunc quoque confutat, qui e quodam materiei fluxu maiorem, minoremve memoriae vim repetebat. Inquit enim: οἱ τε σφοδρα νεοι, και οἱ γεροντες αμνημονες εισι· ῥεουσι γαρ οἱ μεν δια την αυξησιν, οἱ δε δια την φθισιν. *Qui valde pueri sunt, et qui senes, memoria laborant; quia illi ob adcretionem, isti ob decretionem fluunt. De Mem. et Rem.* T. II. p. 84. *Paris.* 1654. Paullo ante legimus N. A. in contraria abiisse, dum puerorum memoriam commendavit. Atque heic quoque Platonis sententiam sequutus est. Is enim scripsit: τα παιδων μαθηματα θαυμαστον εχει τι μνημειον. Εγω γαρ ἁ μεν χθες ηκουσα, ουκ αν οιδα, ει δυναιμην ἁπαντα εν μνημῃ παλιν λαβειν· ταυτα δε ἁ παμπολυν χρονον διακηκοα, παντα πασι θαυμασαιμ' αν ει τι με αυτων διαπεφευγεν· ην μεν ουν μετα πολλης ἡδονης και παιδικης τοτε ακουομενα, και του πρεσβυτου προθυμως με διδασκοντος, ἁτε μου πολλακις επανερωτωντος· ὡστε οἱον εγκαυματα μοι ανεκπλυτου γραφης εμμονα μοι γεγονε. *Ea, quae a pueris discuntur, memoriae mirum in modum inhaerent. Equidem quae heri audivi nescio an omnia possem reminisci: eorum vero, quae a longissimo hinc audivi tempore, vix dici possit quam mentem animumque nullo modo effugerint: et illa quidem a me cum maxima voluptate et laetitia percipiebantur, et ea senex iucunde narrabat mihi illum hac de re subinde interroganti: unde et quasi monumenta indelebilis scripturae alte innata atque impressa constanter ad hunc usque diem perdurant. Timae.* pag. 26. T. III. *Ed. Steph.* Itaque in praesenti lacinia illud adsertum reperimus, eos, in quibus materiae mutatio locum habebit, rerum praeteritarum oblivisci: nec unquam memoriam servari, ubi elementa animum perficientia mutantur. Sic fluxus ille materiei, quem Aristoteles somniavit, respuitur; atque pueris maior memoriae vis, uti nuper a Platone audivimus, adtribuitur.

Lin. 10. et seqq. των κινοτητων κ. λ.) Mox in Col. XVI. Peripateticos sugillari videbimus. Sententia autem, quam refutat, e Peripateticorum penu sumta est. Non abs re itaque supplementum spatiolis, et litteris superstitibus congruum excogitavimus.



ΤΟΥΤΟ ΔΟΜΟΙΩΝ ΕΧΕΙ
ΚΑΤΑΛΗΨΙΝ ΚΑΙ ΤΟΥ
ΤΩΝ ΔΟΥΝ ΠΕΡ ΩΔΕΥ
ΜΕΝΩΝ ΟΥ ΔΥϹΚΟΛΟΝ
ΠΡΟϹ ΑΠΟΔΟΥΝ ΔΙΚ I
ΔΙΑ ΤΙΝΑϹ ΕΠ ΠΑϹΜΟΥϹ
ΑΝΘΡΩΠΟΜΟ ΟΝ ΚΑ
ΤΑΛΕΙΠΟΜΕΝ Ν ΘΕΟΝ
ΔΗΛΟΝ ΔΩϹΜ ΙΝ
Π ΥΟΥ Τ
Ο

COL. X

Cic. B. Casanova dis. — Raf. Biondi inc.

COLUMNA X.

Τουτο δ' ὁμοιων εχει καταληψιν. Και τουτων δ' ουν περιωδευμενων, ου δυσκολον προσαποδουναι και δια τινας επισπασμους ανθρωπομορφον καταλειπομεν τον Θεον. Δηλον δ' ὡς μορφην ανθρωπου ουχ ἡττασθαι . . . .

Hoc autem rerum similium comprehensionem habet. His igitur perlustratis, non piget adiicere etiam, ob quasnam adtractiones Deum humana forma praeditum relinquamus. Patet vero hominis formam non *posse* vinci *ab alia in Mundo.*


CAP. X.

Cur Deum humana forma praeditum adserant Epicurei.

ADNOTATIONES.

Lin. 1. et seq. Τουτο δ' ὁμοιων κ. λ.). De Φαντασιᾳ fortasse loquitur, quam cum memoria coniunctam, atque ex ὁμοιοις, και ὁμοιομορφοις natam, semperque ita veram esse, uti αισθησιν, docuit Epicurus. Vide Gassendum haec explanantem, et Sexti Empirici, Plutarchi, aliorumque sententias adferentem. *De Physiol. Epicuri* Tom. 1. p. 73. et 84.

Lin. 2. et seqq. Και τουτων δ' ουν κ. λ.). Nota ad dexteram pagellae oram posita, atque ipsa transitionis forma luculenter ostendunt Auctorem ad argumentum, quod cum praecedente parum aut nihil adfinitatis habet, progressurum. Hoc autem, adversus Stoicos disserens, tractari *ου δυσκολον, non molestum* dicit; quia Epicuri adseclae, ubi cum Stoicis altercabantur, de eo libentissime agebant. Exponendum itaque suscipit, cur humanam Deo formam illi adtribuant; ac tria ipsa putidissima sophismata, quae Tullius adferendo refutat, heic reponit. Horum alterum his verbis Velleius proposuit, quae lacunae opplendae opportunissimam praestare materiam videntur. *Nam quum praestantissimam naturam, vel quia beata est, vel quia sempiterna, convenire videatur eamdem esse pulcherrimam; quae compositio membrorum, quae conformatio lineamentorum, quae figura, quae species humaná potest esse pulchrior? Vos quidem, Lucili, soletis (nam Cotta meus modo hoc, modo illud) quum artificium effingitis, fabricamque divinam, quam sint omnia in hominis figura non modo ad usum, verum etiam ad venustatem apta, describere. Quod si omnium animantium formam vincit hominis figura, Deus autem animans est: eá figurá profecto est, quae pulcherrima sit omnium. De Nat. Deorum.* L. I. n. 47.


ΜΕΝΕΝΑΛΛΗΙΜΟΡΦΗΙ
ΔΙΧΑΤΗϹΑΝΘΡΩΠΟΥΦΑ
ΝΕΡΟΝΩϹΚΑΙΤΟΝΘΕΟΝ
ΑΝΘΡΩΠΟΜΟΡΦΟΝΧΡΗ
ΚΑΤΑΛΕΙΠΕΙΝΙΝΑΚΑΙΤΥΝ
ΛΟ ΜΩΙΤΗΝΥΠΟϹΤΑ
ϹΙΝΕΧΗ ΔΙΟΠΕΡΑΝΘΡΩ
ΠΟ ΦΟΝΛΕΓΟΜΕΝ
ΤΕ ΘΕΟΝΥΠ
ΕΙϹ ΑΝΑΝΚΗϹ
Ν ΚΑΙΔΗΛΟ
ϹΚΙ

COL. XI

Gio. B. Casanova dis. *Raf. Biondi inc.*

COLUMNA XI.

Και ει λογισμον ουκ εχομεν εν αλλη μορφη, διχα της ανθρωπου, φανερον, ὡς και τον Θεον ανθρωπομορφον χρη καταλειπειν, ἱνα συν λογισμω την ὑποστασιν εχη. Διοπερ ανθρωπομορφον λεγομεν νομιστεον τον Θεον ὑποστασεις της αναγκης λαμβανοντα. Και δηλον, ὡς ὁ Θεος αει σκηπτεται

CAP. XI. Adcedit alterum hac de re sophisma.

Ac si rationem non habemus in alia forma, nisi in humana, manifestum est, etiam Deum humana forma praeditum oportere relinquere, ut cum ratione consistat. Propterea humana forma praeditum dicimus putandum esse Deum, ut statum suum necessario adcipiat. ¶ Atque manifestum est, Deum semper fingi *humana specie apud omnes Gentes.*


CAP. XII. Tertium adiungitur.

ADNOTATIONES.

Lin. 1. et seqq. Και ει λογισμον κ. λ.) Habes heic ipsissimum sophisma, secundo etiam loco situm, quo Velleius humanam figuram Diis vindicabat. Inquit enim: *Deos beatissimos esse constat, beatus autem esse sine virtute nemo potest, nec virtus sine ratione constare, nec ratio usquam inesse, nisi in hominis figura: hominis esse specie Deos confitendum est. De Nat. Deor.* L. I. n. 48.

Lin. 6. καταλειπειν). Heic το καταλειπειν significat *posteris tradere*, Deum ανθρωπομορφον, uti a maioribus adceptum fuerat: vel potius *non mutare*, neque in aliam figuram, quam Stoici fingant, convertere.

Lin. 12. et seq. Και δηλον, ὡς κ λ.) Ne mutila videretur pervetusta Epicureorum hac de re argumentatio, tertio loco reposuimus σοφισμα, cui primum Velleius adtribuerat. *A natura*, inquit, *habemus omnes omnium Gentium speciem nullam aliam, nisi humanam, Deorum. Quae enim alia forma occurrit umquam aut vigilanti cuiquam, aut dormienti? De Nat. Deor.* L. I. n. 46.



COL. XII

Gio. B. Casanova dis — *Ant. Casanova inc*

COLUMNA XII.


. . . . λαμβα-
νει τον ἡμετερον
επισπασμον και προς
τουτ' αγοντα. Φασιν
γαρ, ὡς ει, δια το λογισ-
μον εχειν, ανθρωπομορ-
φος εστιν· και της ζω-
οτητος κοιν. ουσης,
συναπτωμεν αυτῳ
και πολλας αλλας κοι-
νοτητας μορφων, ὡσ-
περ και χρειας, και δα-
πανας. . . . .

Deus adcipit nostram adtractionem, quae et ad hoc agit. Dicunt enim quod si, eo quod *Deus* habet rationem, humana forma sit praeditus; quum animalis etiam natura sit ei nobiscum communis, ipsi coniungimus quoque multas formarum communicationes, uti et indigentias, et impensas.

CAP. XIII.
Stoicorum obiecta.

Lin. 5. *επισπασμον*). Vox haec non occurrit in Lexicis, sed inter caeteras ab *επισπαν* deductas recensenda est. Ea utitur Auctor, ut indicet conditionem illam humanae naturae, quia innumeras necessitates, et molestias *ad se trahit;* quaeque *etiam ad hoc nos impellit*, ut plurimis indigentiis obnoxii simus. Istam porro *adtractionem Deus* ipse utique *adcipiet*, si humanam gerit formam. Paullo ante verbum idem adhibuit, ut significaret eas rationes, quibus Deorum figura ad humanam speciem *adtrahitur*. Col. X. lin. 6.

Lin. 4. et seqq. *Φασιν γαρ κ. λ.*). Philodemus in libro, quem superius explanavimus, totus in hoc est, ut Stoicos refellat, qui ab humana forma Dis adtributa plurimas derivari absurditates merito comprobarunt. Quas inter ea praecipuum locum habebat, quam heic N. A. proponit. Vide pag. 65. et seqq. Immo in eius Voluminis conclusione hanc totius Operis sui summam fuisse declarat, ut huiusmodi Stoicorum obiectioni satisfaciat, p. 81. Idcirco ibidem reperies, lector, adlatum quidquid heic tum obiectioni, tum responsioni enucleandis fortasse requisieris.



COL. XIII

Gio. B. Casanova dis — *Raf. Biondi inc*


COLUMNA XIII.

. . . . μεγαλοψυχιαν εχει κοινην. Οθεν ουκ ει τινα ζωα μορφην τοιαυτην εχει, και τον Θεον ειναι δει τοιουτον. Το δε λογιζομενον, και ακρως γε, συν ταυταις ταις κοινοτησιν, και αλλας πολλας εξει. Τας δε αρχ εν μερικω πασας καταριθμειν του ανθρωπου

leo cum hominibus animi magnitudinem habet communem. Quare si nonnulla animantia talem formam habent, non oportet Deum etiam esse talem. Rationis autem usum, et quidem perfecte, una cum communibus huiuscemodi facultatibus, et multas alias habebit. Hasce vero singillatim cunctas recensere, hominis *otiosi, ac temerarii esset.*

CAP. XIV.

Quid respondeant Epicurei.



ΕΙΓΑΡΑΝΘΡΩΠΟΥΦΥ
ϹΙΝΜΟΡΦΗΝΕΞΕΘΔΗ
ΛΟΝΩϹΕΞΕΙΚΑΙΟΦ ΑΛ
ΜΟΥϹΟΥΤΩϹΚΑΙΟΦΘΑΛ
ΜΙΑϹΕΙ ΤΟΔΑΥΤΟΚΑΙ
ΕΠΙΠΩΝΑΟΙΠΩΝΑΙϹΘΗ
ϹΕΩΝΠΕΙϹΕΤΑΙ ΤΟΥΤΟ
ΔΕΚΑΙΑΥΤΟΛΗΡΟΝ ΧΕΙ
Π ΡΑΠ ΙϹΙΟΝ Π
ΤΟ ΚΟΚΟ
ΘΟ Ε Ν

COL. XIV

Gio. B. Casanova dis *Raf. Biondi inc.*

COLUMNA XIV.

Ει γαρ ανθρωπου, φησιν, μορφην ἑξει, δηλον, ὡς ἑξει και οφθαλμους, οὑτως και οφθαλμιασει. Το δ' αυτο και επι των λοιπων αισθησεων πεισεται. Τουτο δε και αυτο ληρον εχει παραπλησιον. Πρωτον ουν ουκ ακολουθον εστιν το γειν

CAP. XV. Alia Stoicorum obiectio.

Si enim hominis, ille ait, formam habebit; patet eum habiturum etiam oculos, itemque oculis laboraturum. Idem vero in reliquis quoque sensibus patietur. Hoc ipsum autem simileum habet ineptiam. ¶ **Primum itaque consentaneum non est** ***Deum nostris infirmitatibus obnoxium putare.***


CAP. XVI. Epicureorum responsio.

ADNOTATIONES.

Lin. 1. et seq. φησιν). Quis iste sit, cuius verba adlegantur, lacuna legere vetat. Certe quidem aliquis e Stoa loquens inducitur, uti apud Ciceronem Cotta, qui his similia Epicuro opponit. Fortasse ipse est Chrysippus, de quo ita Laërtius: εζηλου δε Επικουρον Χρυσιππος... ει γαρ τι γραψαι Επικουρος, εφιλονεικει τοσουτο γραψαι ὁ Χρυσιππος. *Aemulatus est autem Epicurum Chrysippus......si quid enim Epicurus scriberet, tantundem scribere Chrysippus contendebat.* L. X. segm. 26. Idem habet Hesychius Milesius. Doctrinae itaque Epicuri de Deorum corpore, eiusque argumentis id facile obiecit Chrysippus, quod A. N. commemorat.

Lin. 4. et seq. οφθαλμιασει). Si futurum hoc, praecedenti τῳ ἐξει respondens, non placet; legemus substantivum nomen οφθαλμιασεις, quod oculorum morbum significat. Temere enim haec vox a quibusdam lexicographis respuitur, eique sufficitur οπτιλιασεις, quum αναλογια suadente απο του οφθαλμιαν rite deducatur οφθαλμιασις. Caeterum sensus idem erit, alterutrum legatur; habesque simile quidpiam apud Tullium: *Redeo ad Deos. Ecquos si non tam strabones, et paetulos esse arbitramur? Ecquos naevum habere? Ecquos silos, flaccos, frontones, capitones, quae sunt in nobis? an omnia emendata in illis? Detur id vobis. De Nat. Deor.* L. I. n. 80.

Lin. 9. et seqq. Πρωτον ουν κ. λ.) Quid respondeant Epicurei, e Cicerone, et Philodemo facili negotio eruimus, ut abruptus in lacuna sermo suppleatur. Deus enim, ut Epicurei aiebant, *non corpus sed quasi corpus, non sanguinem sed quasi sanguinem habet*, ac propterea nihil noxium patitur, neque humanis aegritudinibus obnoxius est. Vide dicta ad Philod. *De Deorum Vita* p. 43. et 48.



COL. XV

Gio. Batta Casanova dis · Raf. Biondi inc

COLUMNA XV.

και ουδεν πιθανον ενεστιν τοις αν Βιωνος του κατα Θεοφραστον ποιητου φιλοσοφιαν ανθινοις κατακοσμησαντος, ασυνθετων μετακολουθου δια την της φυσεως των οντων αγνωσιαν. Το μεν γαρ επιχειρημα τουτο παν γενος ζητηματων ολως εχει, και μοριων γνωσιν.

CAP. XVII. Bionis absurditates.


ac nihil probabile est in libris poëtae Bionis, qui quum ex Theophrasti doctrina philosophiam floribus ornarit, absurdā sequutus est propter naturae rerum ignorantiam. Hoc enim susceptum *ab eo* opus omne quaestionum, et particularium cognitionum genus omnino complectitur.

ADNOTATIONES.

Lin. 2. et seqq. Βιωνος του κ. λ.) Quae de Bione Borysthenita in isto αυτογραφῳ legimus, aliqua ex parte iam nota eruditis erant: pridem enim apud Laërtium occurrerat illud: φασι λεγειν επ' αυτου τον Ερατοσθενην, ὡς πρωτος Βιων την φιλοσοφιαν ανθινα ενδυσεν · *aiunt Eratosthenem de illo dixisse: primus omnium Bion philosophiam floribus ornavit.* Lib. IV. segm. 52. Porro hisce verbis duas Casaubonus emendationes adposuit; quarum altera per N. A. comprobatur, altera refellitur. Primo itaque emendatur Strabonis locus, apud quem Ερατοσθενης φησι... Βιωνα πρωτον θειαν τινα περιβαλειν σοφιαν, L. I. segm. 3. pag. 27. *Amstel.* 1707. quod rectius legendum est: πρωτον ανθινα περιβαλειν σοφιαν. Huic enim lectioni favent tum illud Laërtii, την φιλοσοφιαν ανθινα ενδυσεν; tum hoc Nostri Philosophi, φιλοσοφιαν ανθινα καταχοσμησαντος. Ubi facile intelligis ανθινα idem esse, ac την ανθινην εσθητα, *vestem floribus ornatam.* Altera vero Casauboni emendatio est, qua in Laërtio ιανθινα, non ανθινα legendum censuit. Sed manum de tabula. Habemus enim Laërtii lectionem a nostra papyro confirmatam; atque nihil est, quod utramque reiiciamus; immo temere ad *violas* tantummodo exhibendas, non autem ad alios etiam *flores* variegatae *vestis ornamenta* redigeretur.

Lin. 5. et seqq. ποιητου κ. λ.) Non iniucundam eruditis notitiam ex hac lacinia luculenter elicimus, Bionem videlicet *poëtae* nomen obtinuisse, ac versibus Graecis id Theophrasto praestitisse, quod Latinis Lucretius praestitit Epicuro. Nimirum ipse ευφυης ην και παρῳδησαι, *ingenio pollebat versibus in alium sensum imitandis adcommodato.* Laërt. l. c. Quin etiam *Bionei sermones* ab Horatio memorantur Epist. L. I. epist. II. v. 59. In quem locum vetus Scholiastes, *mordacissimis*, ait, *versibus est usus, quibus ita omnes laceravit, ut ne Homero quidem parceret.* Huiusmodi in Homerum mordacitatis habes mentionem apud Cic. *Tusc. Disp.* Lib. III. n. 62. Verum dum prisci Auctores Bionis opus in Theophrastum laudarunt, ligata oratione hoc fuisse conscriptum minime testati sunt; dumque ipsius παρῳδιας, et satyras prodiderunt memoriae, carmen gravissimum, et a caeteris poëtis usque ad illud tempus intentatum haud indicarunt.

Lin. 5. et seqq. ασυνθετων μεταχολουθου κ. λ.). Quae in Bioneo Carmine notat N. A., an plenam mereantur fidem, vehementer dubitamus. Erat enim Bion in exponenda Theophrasti doctrina omnino Peripateticus, ut eum vocant Numenius apud Eusebium, *Praef. Evang.* L. XIV. p. 731. atque Eudocia p. 94. Iam vero Epicuri, eiusque sectatorum mos erat, ut caeteros Philosophos de φυσιολογιας αγνοια, *naturae rerum ignoratione* identidem calumniarentur, seque solos naturae arcana intellexisse iactarent. Vide Laërtium L. X. segm. 79. et seqq. et Lucretium L. I. v. 71. et seqq. Lib. III. v. 1. et seqq. Lib. V. v. 1. ad 54. Lib. VI. v. 5. et seqq., *et alibi saepe.* Sic etiam verba a nobis refecta comprobantur.


ΚΟϹΜΟΝΘΕΟΝΟΥΔΗ
ΕΝΙΟΝΤΑΚΑΜΑΝΤΑϹΕ
ΛΗΝΗΝΤΕΠΛΗΘΟΥϹΑΝ
ϹΤΩΙΚΩΙΔΕΚΑΙΠΕΡΙ
ΠΑΤΗΤΙΚΩΙΤΟΥΚΕΞΕϹ
ΤΙΝΛΕΓΕΙΝ ΠΩϹ[illegible]ΑΡΙΔΙ
ΑΝΕΧΕΙΜΟΡΦΗΝΤΟϹΦΑΙ
ΡΟΕΙΔΕϹΑΛΛΩϹΘΟΙΤΟΥ
ΤΟΛΕΓΟΝΤΕϹΟΥΒΛΕΠΟΥ
ϹΙΝΔΙΟΤΙΤΗϹΦΥϹΕΩϹ
ΔΙΟΝ[illegible]ΝΟΝ

COL. XVI

Gio. Batta Casanova dis. *Raf. Biondi inc.*

COLUMNA XVI.

ἡμεις λεγομεν ουδ' Κοσμον Θεον, ουδ' Ηλιον τ' ακαμαντα, Σεληνην τε πληθουσαν. Στωϊκῳ δε, και Περιπατητικῳ τουτ' εξεστιν λεγειν, 'όπως Παριδι ανεχει μορφην ὁο σφαιροειδες. Αλλως οἱ τουτο λεγοντες ου βλεπουσιν, διοτι της Φυσεως εστιν ιδιον των οντων . . . .

CAP. XVIII.

Errores Stoicorum, et Peripateticorum notantur.

. . . . nos haud dicimus Deum esse vel Mundum, vel » Solem infatigabilem, Lunamque plenam ». Stoico autem, et Peripatetico id dicere fas est; perinde ac si Paridi formam sphaerae similem adtribuat. Caeterum qui haec dicunt, non vident naturae proprium esse, ut rerum *singularum formam pro cuiusque conditione constituat.*

Lin. 1. et seqq. ἡμεις λεγομεν κ. λ.) Priora verba supplevimus a posterioribus plane ducti; το λεγομεν enim τῳ λεγειν respondet, uti ἡμεις mox Στωϊκῳ, και Περιπατητικῳ opponitur. Quod autem hi dicerent *Mundum esse Deum*, atque idcirco ab Epicureis merito refellerentur, paullo post animadvertemus. Quare το ειδε non abs re heic restituimus.


L. 2. et seq. Ηλιον κ. λ.). Versum recitat ex *Iliade* L. XVIII. v. 484. Ita vero N. A. σκωπτικως loquitur, ut illud εναντιωμα inter caetera a Plutarcho recensita Stoicis exprobret, quo *Deum* modo totum *Mundum*, modo *Solem*, et *Lunam* esse docebant. En Stoici verba ad Epicureum: *quid est, quod te impediat aut Solem, aut Lunam, aut Mundum..... in Deorum natura ponere?....Sol, duabus unius orbis ultimis partibus definiens motum, cursus annuos conficit. Huius hanc lustrationem eiusdem incensa radiis menstruo spatio Luna complet.* Cic. *De N. D.* L. I. n. 87. et seq. Quibus respondet Lucretius:

Relligione refraenatus ne forte rearis
Terras, et Solem, Coelum, Mare, Sidera, Lunam
Corpore Divino debere aeterna monere.

De Rer. Nat. L. V. v. 115. et seqq. Sententiam Epicuri discipulos hac de re erudientis habes apud Laërtium L. X. segm. 77. Consule *Adnotat.* Casauboni *in h. l.*

Lin. 5. et seqq. Στωϊκῳ δε, και Περιπατητικῳ κ. λ.). Si locum hunc prae manibus habuisset J. F. Buddeus, mirum in modum suam exornasset Diatribam *De Spinozismo ante Spinozum*, ubi tum Stoicos, tum Peripateticos aliqua Pantheismi labe infectos ostendit. §. V. et seqq. probavitque pariter *Epicurum Atheum fuisse, non autem Spinozistam* §. VII. Idem docent eius *Theses De Atheismo, et Superstitione* p. 121. et 172. et seq. *Lugd. Bat.* 1757. et Baelii *Dict. Hist. Crit.* art. *Spinoza*, et *Réponse aux Questions d'un Provincial.* T. II. c. 107. At vero huic testimonio quid respondent ii, qui Stoicos, et Peripateticos a *Pontheismi* culpa purgare conantur? Autumant nimirum hosce Philosophos tradidisse Divinam Mentem esse Mundo infusam, eumque constituisse, ac perpetuo regere. Sed de his plura habent animadversiones Cudworti *System. Intellect.* p. 681. et seqq. Not. *n. Lugd. Batav.* 1773. necnon et Staalkopfs *De Spinozismo post Spinozam.*

Lin. 7. Παριδι). Paridem, seu Alexandrum, non abs re memorat, quia ipsum forma pulcherrimum, Deisque similem effinxerunt Poëtae. Apud Homerum enim passim audit θεοειδης. *Iliad.* III. v. 16. 30. 57. 58. *et alibi;* erat enim, ut ait Eustathius, ειδος αριστος, η τοι καλος το ειδος. Quare Nympham Oenonem duxit uxorem. Ovid. *Heroid.* Epist. III. Apollod. *Bibl.* L. III. c 24. Tzetzes in *Lycophr.* v. 57. Quint. Calab. L. X. v. 290. Itaque heic dicere videtur N. A. ex Stoicorum, et Peripateticorum sententia, qui Mundum Deum putabant, Paridem non modo fuisse θεοειδη, sed etiam σφαιροειδη; siquidem illi cum plerisque aliis philosophis sphaericam figuram Mundo adsignabant: atque ipse Epicurus, qui infinitos statuebat Mundos, praecipue figuram globosam aut ovatam tribuebat, sic scribens ad Herodotum: τους κοσμους.... σφαιροειδεις ειναι, και ωοειδεις αλλους. *Mundus .... sphaerae speciem praeferre, et alios ovi.* Laert. L. X. segm. 74.



Η ΠΛΗΘΩΝ ΤΕΚΑΙΕΛΑΤ
ΤΩΝΜΕΧΡΙΤΟΥΤΟΥΠΑ
ΡΑΛΛΑΤΤΕΙΜΕΧΡΙΤΟΥΤΟ
ΜΕΝΕΚΠΛΗΘΟΝΩΝCΥΝΕ
CΤΑΝΑΙΤΟΔΕΞΕΛΑΤΤΟ
ΝΩΝ ΚΑΙΔΙΑΤΟΥΤΟΤΟΜΕΝ
ΠΑΧΥΜΕΡΕCΤΕΡΟΝΚΑΙΚΕΙ
ΝΕΙΝΑΙCΘΗCΙΝΔΥΝΑΜΕ
ΝΟΝΑΠΟΤΕΛΕΙ ΤΟΔΕΛΕ
ΠΤΟΜΕΡΕCΤΕΡΟΝΚΑΙΤΗΝ
ΜΕΝΑΙCΘΗCΙΝΟΥΚΑ
Ν ΙΝ

COL. XVII

Gio. Batta Casanova dis. Gius. Biondi inc.

COLUMNA XVII.


. . . . ή πληιων τε, και ελαττων μεχρι τουτου· παραλλαττει, μεχρι του το μεν εκ πλειονων συνιστανει, το δ' εξ ελαττονων. Και δια τουτο το μεν παχυμερεστερον, και κινειν αισθησιν δυναμενον αποτελει· το δε λεπτομερεστερον, και την μεν αισθησιν ουκ απο- [illegible] κινειν τηρειται.

maior, et minor *densitas* eo usque discrepant; ut alterum quidem ex maioribus, alterum vero ex minoribus *partibus* constituatur. Atque hac de causa alterum, quod partes habet crassiores, sensionemque movere potest, corrumpitur; alterum vero, quod partibus constat subtilioribus, quodque movendae sensioni natura sua aptum non est, servatur.

CAP. XIX.
Unde oriatur Dei immortalitas.

Lin. 1. et seqq. ἡ πληρον τι κ. λ.) Subintelligenda est πυκνοτης, *densitas*, uti constat ex pagella sequenti lin. 5. A *minori* enim *densitate* repetebant Epicurei corporeorum Numinum immortalitatem. Audiamus Stoicum hac de re disputantem: *Epicurus...... idem facit in Natura Deorum. Dum individuorum corporum concretionem fugit, ne interitus, et dissipatio consequatur, negat esse corpus Deorum, sed tamquam corpus, nec sanguinem, sed tamquam sanguinem.....Non est corpus, sed quasi corpus: hoc intelligerem quale esset, si id in cereis fingeretur, aut fictilibus figuris: in Deo quid sit quasi corpus, aut quasi sanguis, intelligere non possum: ne tu quidem, Vellei; sed non vis fateri: ista enim a vobis quasi dictata redduntur, quae Epicurus oscitans hallucinatus est......Illud video pugnare te, species ut quaedam sit Deorum, quae nihil concreti habeat, nihil solidi, nihil expressi, nihil eminentis, sitque pura, levis, perlucida.* Cicer. *De N. D.* L. I. 71–75. Hinc satis aperitur N. A. mena, qua tantam Divino corpori subtilitatem tribuit, ut *non corpus, sed quasi corpus* sit, nec dissolutioni subiaceat. Πληρον pro πλειον librarii oscitantiae tribuatur, oportet.

Lin. 11. et seq. ουκ αποφυις κ. λ.) Residua elementa, et sensus non aliud supplementum efflagitare videbantur. Accedunt, quae ad hoc confirmandum nuper partim lecta, partim adnotata sunt, pagg. 10. 49. *De Deorum Vita.* Ibi enim talis tribuitur Deorum corporibus tenuitas, ut sensus humanos movere omnino non possit, neque corruptioni, quam caeterae naturae rata Epicureorum sententia subire coguntur, subiaceat. His adde reliqua, quae de Metrodoro praecipuo huiuscemodi doctrinae patrono in *Praefatione* disseruimus. Heic autem observa, quomodo N. A. ad totius Operis argumentum, quasi e diverticulo in viam redeat. Iterum enim de Sensione agit, indicans se idcirco de Deorum forma disputasse, quod haec sensibus subiici nequeat, et Mortem, sensilibus quibuscumque communem, perferre non debeat. Eadem subinde in sequentibus Columnis magis magisque explanantur. Vox denique αποφυις, etsi nova, tamen per alias in lexicis recensitas, nimirum per αποφυω, αποφυμι, αποφυας, κ. λ. facile explicatur.



ΔΙΑΤΩΝΦΑΙΝΟΜΕΝΩΝ
ΕΙΡΓΟΜΕΝΑΚΑΤΑΛΕΙΠΕC
ΘΑΙ ΔΙΑΤΟΥΤΟ ΓΑΡΟΥ
ΔΕΝΑΙCΘΗΤΟΝΑΘΑΝΑ
ΤΟΝ ΗΠΥΚΝΟΤΗCΓΑΡ
ΑΝΤΕΙΚΟΠΤΕΙΠΡΟCΤΟΥ
ΤΟΔΕΧΟΜΕΝΗΠΛΗΓΑC
ΙCΧΥΡΑC ΠΑΛΙΝΤΕΟΥΔΕΝ
ΔΙΦΥΕCΑΙCΘΗΤΟΝ ΤΑ
ΓΑΡCΥΝΒΑΡΕΙΜΕΓΑΛΩΙ
ΜΕΓΑΛΑCΑΝΤΡΟΠΑCΠΟΙ
ΟΥΝΤΑΠΕΡΙΤΑΑΙCΘΗΤΑ
ΠΟ

COL. XVIII

Gio. Batta Casanova dis
Gius. Biondi inc.

COLUMNA XVIII.

δια των φαινομενων ειργομενα καταλειπεσθαι. Δια τουτο γαρ ουδεν αισθητον, αθανατον. Η' πυκνοτης γαρ αντικοπτει προς τουτο, δεχομενη πληγας ισχυρας. Παλιν τε ουδεν διφυες, αισθητον. Τα γαρ συν βαρει μεγαλω μεγαλας αν τροπας ποιουντα, περι τα αισθητα ποιειται· τα δε διφυη ουδε βαρος, ουδε τροπας εχει . . . .

non possunt Dei membra, quae adeo subtilia sunt, et immortalia, inter res adparentes inclusa relinqui. Propterea enim nihil, quod sensibus percipitur, immortale est. Densitas enim immortalitati opponitur, quum duros excipiat ictus. Rursum nihil, quod duplicis naturae est, sensibus percipitur. Quae enim magno cum pondere magnas efficiunt conversiones, inter ea quae sentiuntur, recensentur; at quae duplicis sunt naturae, neque pondus, neque conversiones admittunt.

CAP. XX. Cur sensibus minime subiiciatur.

ADNOTATIONES.


Lin. 1. et seqq. δια των φαινομενων κ. λ.). Quaenam sint Epicuro τα φαινομενα, et quomodo res nobis φαινονται, ex eius Epistolarum ad Herodotum, et Pythoclem lectione liquido intelligitur. Ampliorem huic materiae lucem adfundet Philodemi liber περι Φαινομενων, και Σημειωσεων, quem suo loco edemus. Quamobrem recte restituisse videmur ea, quae periodum capite minutam aliqua ex parte complent.

Lin. 3. Δια τουτο κ. λ.) Quomodo ex Epicuri placitis istaec θεσις prono alveo fluat, facile eruimus ex his, quae ad Herodotum ipse scripsit, segm. 46. et seqq.

Lin. 6. αντιχοντα). Ita dormitans Amanuensis, pro αντικοπτει. Verbum hoc Epicuro familiare est, et apud eum significat *adversari*, *refringere*, *repellere*. Vide Laert. L. X. segm. 47. et seq. Is etiam τω στερεμνιω το πυκνωμα, *solido densitatem* adtribuit, segm. 50. adeoque Metrodori argumentationem explanat. Quid autem sibi velit πυκνον αντικοπτειν, habes segm. 62.

Lin. 7. πληγας). Vertimus *ictus:* qua significatione Interpretes hanc vocem ab Epicuro etiam, dum de *Auditus Sensione* dissereret, usurpatam accipiunt. *l. c.* segm. 53.

Lin. 8. et seq. Παλιν τε ουδεν κ. λ.) Pro ΔΙΦΤΕΣ fortasse legendum est ΑΕΙΦΤΕΣ, *aeternum;* siquidem exscriptor litterarum similitudine facile deceptus est. Ita perfecta habebitur praecedentis axiomatis αντιστροφη· ibi enim scripserat: *nihil, quod sensibus percipitur, immortale est:* heic autem inquit: *nihil, quod immortale est, sensibus percipitur.* Neque vocis αειφυες novitas nostrae coniecturae adeo obstat, ut nos ab ea legenda deterreat; quum inter caetera Lexicis addenda vocabula a nobis identidem recensita suum sibi locum possit vindicare. At si διφυες omnino legas, interpretaberis certe *rem ancipitis*, seu *duplicis naturae.* Hoc autem nomine Deos Epicuri indicare poterat N. A. Illi enim Divinam simul, et humanam naturam habere videbantur; alteram scilicet pro immortalitate, alteram pro forma. Quod autem subiicit de rebus sensui subiectis, adprime consonat Epicureorum doctrinae, qui maximas materiae *conversiones*, et naturalem eius gravitatem praedicabant, tum ut Mundi originem statuerent, tum ut Sensionis explicationem proferrent. Vide Gassendi *Syntagma Phil. Epic.* P. II. Sect. I. c. 8. et 17. et Sect. III. c. 10, et seqq.


ΟΥΤΟΝΕΧΟΝΤΩΝ
ΟΝΤΡΟΠΟΝΕΠΙΤΟΥΛΟ
ΓΟΥΤΟΥΒΙΩΝΗΟΥΤΟΥ
ΤΟΜΕΝΘΗϹΩ ΔΙΟΤΙΓΕ
ΝΟϹΕΚΑϹΤΟΝΖΩΙΩΝ
ΙΔΙΑΝΕΧΕΙΜΟΡΦΗΝΕΝ
ΤΩΙΙΔΙΩΙΓΕΝΕΙ ΠΑΝ
ΤΩϹΔΟΥΚΑΘΑΠΑΞΙΝΑ
ΑΤ ϹΥΝΒΑΙΝΗ ΑΙΕΝ
ΤΟΙϹΑΙϹΘΗΤΟΙϹΚΑΙΕΝ
ΤΟΙϹΛΟΓΩΙΘΕΩΡΗΤΟΙϹ
ΚΑ ΗΚΑ ΜΕΝ

COL. XIX

Gio. Batta. Casanova dis. *Gius. Biondi inc.*

COLUMNA XIX.

. . . . . .
των δο . ζ . . ων
τουτον εχοντων
τον τροπον επι του Λο-
γου του Βιων. Η ου του-
το μεν θησω; Διοτι γε-
νος ἑκαστον ζωων
ιδιαν εχει μορφην εν
τω ιδιω γενει. Παν-
τως δ', ου καθαπαξ, ἱνα
κατασυμβαινη και εν
τοις αισθητοις, και εν
τοις λογω θεωρητοις
καθεστηκος ισμεν,


CAP. XXII. Conclusio.

quum Epicuri sententiae hunc modum servent in Sermone de Vitis. An neque hoc statuam? Quapropter unumquodque genus animantium propriam habet formam in proprio genere. In universum autem, non semel, ut pertineat tum ad ea quae sensu percipiuntur, tum ad alia quae ratione intelligi possunt, constitutum novimus, *ut naturalem formam unumquodque animal perpetuo servet.*

Lin. 3. et seq. *επι του λογου του Βιων*). Quisnam est Auctor *Sermonis de Vitis?* Non alius, opinamur, quam Epicurus. Is enim *περι Βιων* quatuor scripsit libros, uti testatur Laertius. Lib. X. segm. 27. In quorum primo docuerat philosophum ουδε πολιτευσεσθαι, ουδε *τυραννευσειν*, *neque adcessurum ad rempublicam*, *neque tyrannidem quaesiturum. Ibid.* segm. 119. In eodem etiam Libro *περι της Ἡδονης ψυχης, και σωματος, de Voluptate animi, et corporis* disputaverat. *Ibid.* segm. 136. Non abs re itaque sententiam, quam noster Auctor adlegat, in horum Librorum aliquo protulerat; videlicet cuique animalium generi propriam naturam, propriamque formam esse perpetuo tribuendam, ne alterum cum altero confundatur: quod ex sermonis contextu satis eruimus. Denique in *αυτογραφῳ* praepositionem *περι*, a Librario forsitan omissam, si inter *του* et *Βιων* refingat lector, loquutionem ἐλληνικωτεραν, et a Laërtio comprobatam habebit. Quod autem Metrodorus heic non memoret Opus Chrysippi pariter *περι Βιων* inscriptum, quod citatur a Plutarcho *De Stoic. Repugn.* p. 1033. nobis quidem tum ex adposita sensus explanatione, tum ex comparatis Chrysippi, et Metrodori epochis indubium videtur.

Lin. 4. et seq. Η *ου τουτο μεν θησω*;) Interrogantem audire videmur Metrodorum, perinde ac si vehementer miretur aliquem de Epicuri effatis dubitare, et *πατραλοιας* crimen perpetrare, ubi tanti patris auctoritatem pessumdare audeat. Tanta erat, ut alibi animadvertimus, Epicureorum in suum Praeceptorem reverentia. Porro particula *μεν* absolute posita, non sequente δε, pluribus haud caret exemplis, et *certe* vertitur, praecipue post vocem *τουτο*. Vide Xenophont. *Cyr. Exp.* Lib. VII. Cap. 5. n. 10. et Zeun. ad eiusdem. *Memor.* L. I. c. 1. n. 18. et ad Xenophont. *Ephes.* p. 226. et 258. Poëtarum exempla consulto omittimus, ne a ligata ad prorsam orationem temere argumenta sumamus.

Lin. 10. et seqq. *κατασιμβαινη και εν τοις, κ. λ.*) Liquidam *ν* pro *μ* saepe a librariis usurpatam passim adnotavimus. Ita verbum emergit compositum, cuius interpretationem non Lexica, sed sensus et *αναλογια* produnt. Quod autem Auctor inter *τα αισθητα*, atque *τα λογῳ θεωρητα* omnem humanarum cognitionum complexionem dispescat; Epicuri vestigiis inhaeret, uti videre est apud Gassendum *Philosoph. Epicur. Syntagm.* P. I. Cap. 1. Quod deinceps sive legimus, sive supplevimus, ex praecedentibus sponte fluere videtur; atque eiusdem Epicuri doctrinis, qui saepe Deum *ζωον* nuncupat, confirmatur. L. X. segm. 123. et 139.



COL. XX

Gio: Batta Casanova dis. *Giu. Biondi inc.*

COLUMNA XX.

. . τα περι των αισθητων τοις λογω θεωρητοις διαπροεκτεθηκαμεν ενθα, μη τι των φαινομενων αντιπραττη. Διο και τουτ' ευαπολυτον· και τα τοτε σχολασθεντα περιωδευται. Περι τουτων δ' επεσπασθην φιλονεικειν γε μεγαλως, οτ' εξεργων παν οικιον ατοπον ηλθον Υ'πομνημα ποιησαμενος

doctrinas de rebus quae sensibus percipiuntur, ante eas quas ratione adsequimur, exposuimus in praesenti tractatu, ne qua rerum adparentium repugnaret. Quare et hoc, quod facile absolvi poterat, et quae tunc animadvertenda erant, perlustrata sunt. In hisce autem persequendis adductus sum ad altercandum magnopere; quando diruens omne aedificium abnorme ad Commentarium hoc concinnandum deveni; *ut placita nostra de rebus, quae sensibus subiiciuntur, ac de forma Dei explanarentur.*

ADNOTATIONES.


Lin. 1. et seqq. *τα περι των κ. λ.*) Habes heic, lector, totius Tractatus summam, necnon et nexum inter utramque eius partem; alteram nimirum, quae *de Sensionibus* proprie egit, alteram vero, qua ad humanam Deo figuram adserendam ex industria progressus est. Habes etiam causam, cur illam huic parti praeposuerit; *ne qua* scilicet, *rerum adparentium repugnaret*, seu, ne a phaenomenis adversarii argumenta desumerent, unde Epicureorum systema de Diis convellerent.

Lin. 3. et seq. *διαπροεκτεθηκαμεν.*) Verbum Glossariis addendum, in quo ut trium praepositionum vis reddatur, tria indicantur, nimirum *diligenter antea ex-positas* fuisse Epicureorum opinationes *de Sensionibus.*

Lin. 11. et seq. *δι' ἐξεργων παν κ. λ.*). Hoc participium *ἐξεργων* (nam legere *ἐξ εργων* ad rem non esset) *απο του ἐξεργειν* rite deductum est, tametsi Lexicographi, dum *ενεργειν*, *συνεργειν*, *κ. λ.* recensent, ab eo notando abstineant. Significatio facile patet, quam et nostra versio prodit. Videtur autem N. A. vocare *οικιον* totam Stoicorum philosophiam, tum ad Sensiones, tum ad Deos pertinentem. Moles autem systematum, quam Zeno, eiusque Sectatores struxerant, non absurde *aedificio* comparatur; quandoquidem ipsi iactabant suam Philosophiam non esse *populare artificium, nec ostentationi paratum; in rebus, non in verbis esse.* Seneca *Epist.* LXIV. Est enim *rigida, et civilis sapientia.*. Id. *De Consol.* ad Helv. c. 12. Quod autem huiusmodi *aedificium* sit *ατοπον*, satis indicat Stobaeus *Eclog.* L. I. c. 3. §. 28. idque fusius probat Plutarchus in Libro *De Stoic. Repugn.* et in *Stoic. Absurdis*, et in Libro *De Commen. Notion.*

Lin. 12 et seq. *Ὑπομνημα*). Ex hac voce non temere elicimus Opus Metrodori modesto *Commentarii* titulo fuisse inscriptum. Vide *Praefat.*

120


ΑΥΤΗΝΟΙΑΝΟΙΛΟΙΠΟΙ
ΦΙΛΟCΟΦΟΙCΥΝΑΠΤΟΥ
CΙΝ ΠΑΝΤΩCΓΑΡΑΝΕΙ
ΔΑΝΤΟΜΗCΦΑΙΡΩΝΕ
ΧΕΙΝΜΟΡΦΑCΜΗΔΕΚΡΙ
CΕΙCΚΑΙΔΙΑΘΕCΕΙ..ΟΡΓ..
ΛΑCΚΑΙΜΕΙΚΡΑΙΤΙΟΥC
ΑΛΛΑΚΑΙΜΟΡΦΑCΔΙΑΝΕ
CΤΗΚΥΙΑCΕΙCΥΦΟCΚΑ
ΔΙΑΘΕCΕΙCΠΑΝΤΟCΤΟΥ
ΤΑΠΕΙΝΟΥΠΕΡΙΦΡΟΝΟΥ
CΑCΟΛΑCΔΕCΤΡΕΦΟΜΕ

COL. XXI

Gio. B.ª Casanova dis | *Ant.º Casanova inc*

COLUMNA XXI.

αυτην, οἱαν οἱ λοιποι φιλοσοφοι συναπτουσιν. Παντως γαρ αν ειδαν το μη σφαιρων εχειν μορφας, μηδε κρισεις, και διαθεσεις οργιλας, και μεικραιτιους· αλλα και μορφας διανεστηκυιας εις ὑψος, και διαθεσεις παντος του ταπεινου περιφρονουσας, ὁλας δε στρεφομενας εις αφθαρσιαν, και εις μακαριοτητα.

Deus habet formam ipsam, qualem caeteri philosophi, *praeter Stoicos*, ipsi adtribuunt. Omnino enim agnoverunt *Deum* neque sphaerarum formas, neque iudicia, et dispositiones ad iracundiam, et ad querimonias de parvis rebus habere; sed etiam *ipsum habere* formas erectas in sublime, et dispositiones omnem humilitatem abhorrentes, totas autem conversas *ad vitam beatam, atque a negotiis liberam agendam.*

ADNOTATIONES.

Lin. 1. et seq. οἱ λοιποι φιλοσοφοι). Fallitur, aut fallit Metrodorus adserens omnes philosophos, Stoicis exceptis, humanam Diis speciem tribuisse; amplissimo enim testimoniorum numero tum veteres, tunc recentiores Christianae Religionis Defensores comprobarunt plurimos fuisse Philosophos, qui *των Ανθρωπομορφιτων* errorem respuerunt. Vide Petavium *Theolog. Dogm. De Deo* L. II. c. 1.

Lin. 3. et seq. Ειδαν pro ειδασιν, vel potius dormitante librario pro ειδον, vel pro οιδασιν.

Lin. 8. et seq. διανεστηκυιας εις ὑψος). Tum ad corpus, tum ad animum Dei possunt haec verba pertinere. Si enim ei corpus humana efformatum specie tribuerat Epicurus, non pronum, sed versum εις ὑψος, *in sublime*, illud erat. Nimirum Sulmonensis Vates cecinit:

Quam satus Iapeto mixtam fluviulibus undis
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum:
Pronaque quum spectent animalia caetera terram,
Os homini sublime dedit, Coelumque tueri
Iussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Metamorph. Lib. I. v. 82. et seqq. De hac hominum forma, *in sublime erecta*, consule, si vacat, Senecam *De Otio Sap.* c. 32. et Silium Lib. XV. v. 84. et seq. Quod si το ὑψος ad animum, (uti e significatione *του ὑψηλου* elicimus) transferas; indicatam habebis impiam illam ab ipso Auctore saepe repetitam sententiam, qua Deo omnium *sublunarium* rerum notitiam, et curam abnegavit. Videmus igitur A. N. hisce verbis, et sequentibus eo Opus suum deduxisse, unde eius Magister suas Κυριας Δοξας fuerat exorsus. Vide Laërt. L. X. segm. 139. Id quidem non miramur, quum Epicuri scripta sciamus diligentissime a suis Sectatoribus fuisse pervoluta, exscripta, atque defensa; sed vehementer miramur quosdam fuisse nostro aevo nebulones, qui in Christi Schola a pueritia eruditi in errorem adeo futilem, atque humanae societati adeo perniciosum prolapsi ad veritatem redire detrectarunt.

Lin. 12. et seq. ὁλας δε στρεφομενας κ. λ.) Quae subiecimus, ipse Epicurus nobis suppeditavit, qui αφθαρσιαν, et μακαριοτητα conceptis verbis memorat, ubi Deorum proprietates definit. Inquit enim: μηθεν μητε της αφθαρσιας αλλοτριον, μητε της μακαριοτητος ανοικειον Θεῳ προσαπτε· παν δε το φυλαττειν αυτου δυναμενον την μετ' αφθαρσιας μακαριοτητα περι αυτον δοξαζε. *Nihil ab immortalitate alienum, aut beatitudini adversum Deo adtribuas: quidquid autem servare potest eius immortalitatem cum beatitudine coniunctam, id de ipso opinare.* Laërt. L. X. segm. 129. Vide etiam segm. 139.

INDEX I.

Capitum, in quae partiri textus commode potuit.

PHILODEMI
DE DEORUM VIVENDI RATIONE.

METRODORI

DE SENSIONIBUS COMMENTARIUS.

INDEX II.

Graecarum vocum vel animadversione digniorum, vel mendo aliquo laborantium.

Litterae Ph. *Philodemum*, M. *Metrodorum* p. *paginam indicant.*

INDEX III.

Auctorum, quos Philodemus, et Metrodorus memorant.

Litterae Ph. *Philodemum*, M. *Metrodorum*, p. *paginam indicant.*

v

INDEX IV.

Rerum memorabilium, quae vel in Textu, vel in Praefationibus, vel in Scholiis occurrunt.

Litterae Ph. *Philodemum*, M. *Metrodorum*, p. *paginam indicant.*

N

P

S

T

Z

In Philodemo.

ERRATA.			CORRIGE.
Pag. 5.	*lin.* 5.	απειργρονιον	απειροχρονιον
13.	10.	κομιζον ται	κομιζονται
19.	5.	καταστιφετο	κατεστιφετο
37.	6.	*Francof.* 1099.	*Francof.* 1599.
ibid.	27.	νονωνια	κοινωνια
38.	4.	adsurdum	absurdum
43.	*lin. ult.*	incorruptibilibus *versantur*	incorruptibilibus
58.	*lin. ult.*	coactionem	coauctionem
61.	36.	ποτων	τοπων
73.	11.	προσλαμβανομενον	το προσλαμβανομενον
77.	2.	ὁμοιωσθαι	ὡμοιωσθαι
79.	26.	eademque	eamdemque

In Metrodoro.

6.	4.	πινος	τινος
9.	8.	νοησονταιμενειν	νοησονται μενειν
21.	5.	ut cum	ut et cum
ibid.	6.	ἵνα συν	ἵνα και συν
29.	3.	Θ οφραστον	Θεοφραστον